21 (70)

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE

TUMORE OEDEMATOSO PODAGRICO,

QUAM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DN. FRIDERICO WILHELMO,

PRINCIPE BORUSSIÆ, MARCHIONE BRANDENBURGICO, RELIQUA,

IN ACADEMIA FRIDERICIANA,

GRATIOSISSIMO FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU

PRÆSIDE

DN. GEORGIO ERNESTO STAHL,

CONSIL. AUL. ET ARCHIAT. REG. MED. ET RERUM NATURALIUM PROFESSORE PUBL. ORDIN. ACAD. NAT. CUR. COLLEGA LONGE DIGNISSIMO, DECANO h. t. SPECTATISSIMO,

DOMINO PATRONO, PRÆCEPTORE AC PROMOTORE SUO omni Observantiæ atque Honoris cultu ætatem colendo,

PRO GRADU DOCTORALI,

Summisque in Arte Medica Honoribus, Insignibus ac Privilegiis More Majorum Solenni obtinendis,

Ad d. Mart. M DCC XIII. horis ante & pomeridianis

IN AUDITORIO MAJORI

Publico Eruditorum Examini submittit,

GEORG. SIGISM. Liebezeit/

SOPRONIENSIS HUNG.



HALÆ MAGDEBURGICÆ,

Typis CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typogr.



Prooemium.



Ti rectè, & planè peritè, monet Philoſophus, multa quidem, inquiens, egiſſe Majores noſtros, ſed non peregiſſe; Et planè ſcitè illi ſuffragatur Hippocrates, quod illi imprimis rectè agere ſibi videantur, qui aliquid eorum reperire, adinvenire, & enucleare valeant, quæ præſtet, & ex uſu ſit, ſcire potius, quam neſcire; Ita minimè improbari poterit, ab ullô, communis inopiæ peritè gnaro, ſi vel planè ab Anteceſſoribus intacta, vel ad minimum, neque loco ſatis conveniente, neque digna ἀκριβείᾳ à majoribus noſtris, ſive notata, ſive evoluta atque pertractata, magis magisque clariori luci exponantur & ad debitos uſus dirigantur; Quis autem, niſi ſatis imperitus, ignorat, quod multa omninò, quæ ab Hippocrate, ab ipſis etiam Anteceſſoribus ejus ad ipſum transmiſſa, ad veram morborum hiſtoriam pertinentia, nervosè quidem, ſed & breviter, & minimè ita rarò, minus proprio loco, ab ipſo memorata, à ple-

risque ejus successoribus, commentariis magis tacta solùm, & verbis potiùs amplificata, quam ipsa re penitiùs enucleata, & pro verâ suâ dignitate perfecta sint. Unde etiam studium illud, in se minimè contemnendum, omnia conquirendi, quæ Hippocrates, ad unam eandemque rem pertinentia, diversis locis & occasionibus, protulit, minimè tamen adhuc undique satisfecit, ad quoslibet hic relictos defectus & difficultates tollendum. Tantò magis cum Hippocrates in historia potiùs tradenda, quam causis perspiciendis, certè operosior passim, nescias an felicior undique fuerit; Galenus autem, tanquam hunc defectum suppleturus, alibi quidem in causis reddendis justò prolixior, alibi verò, nisi mavis communiter, in harum declaratione generalior, nonnunquam etiam revera alienior fuisse, attentâ pensitatione satis luculenter deprehendatur. Quæ ipsa verò solida causarum evolutio, cum anima propemodùm sit, justæ scientificè artificiosæ Therapiæ, mirum esse non potest, si tota ferè ejus posteritas, vestigiis his pressius inhærens, & propemodùm nihil aliud agens, quam effata ejus, tanquam suffragia absoluta, repetens atq; colligens, nihil amplius assecuta est, quam ut totam rem eo loco, ubi illam invenerat, relinqueret. Quæ certè res cuilibet, per propriam experientiam atq; observationem veræ morborum historiæ, sive universim, sive seorsim, compoti, jus æquum tradere videtur, ut potius rem ipsam, ut in se est, repræsentare ipsi liceat, quam necesse sit, ut vel antiquiorum illorum. vel quorumlibet tandem propinquiorum, testimonia & suffragia anxiè conquirat, & nihil eorum prætermittat, quæ à talibus jam antè in eam rem dicta aut prolata fuerunt.


Quam-

Quamvis enim hoc etiam ſtudium nequaquam improbemus, imò potius laude ſuâ dignum agnoſcamus; Tamen, cum non cujus libet otium permittat, ut operæ huic rectè vacet; (imprimis cum etiam ille malus mos, præſertim inter germanos literatos, valdè invaluerit, ut non ſolùm inſcitiæ, ſed vel planè injuriæ, reum agere non erubeſcant, ſiquis huic inſtituto manum admovere aggreſſus, aliquem unum allegare prætermittat) conſultius propemodùm, quôlibet intuitu, videtur laudatæ illi viæ inſiſtere, & philoſophicum illud antiquum ſequi, ubi ipſarum rerum teſtimonia adſunt, non opus ſit verbis & verbalibus ſuffragiis. Certè enim, ſi res ipſa vera ſit, quisquis de illâ ſive rectè ſcripſit, ſive expertus ſenſit, teſtis ita erit, licet non citatus aut productus; & ſubindè etiam minus invidioſum erit, non monſtrâſſe paucitate teſtium, aut allegatione alienioris tractationis atque mentionis, quaſi tacitè oſtendiſſe, quam parum ad animum adhuc revocatæ ſint res aliquando etiam non exigui momenti. Non fruſtrà verò præmittimus excuſationem hanc, præſenti noſtro inſtituto; cum certè ingenuè fateamur, non eſſe nobis cognitum, à quo res, quàm nobis ſumimus memorandam, ſatis exquiſitè, pro dignitate ſuâ, notata jamdum atque oſtenſa ſit. Quod ipſum tamen, ſi factum etiam eſſet, nihil prohibet, quò minùs nos quoque, eandem rem, imprimis SPECIMINIS INAUGURALIS loco atque themate, nobis ſumendi, æquum jus habeamus. Eſt autem ſubjectum, in quo noſtra Diſſertatio occupabitur, TUMOR OEDEMATOSUS PODAGRICUS, ejusque diverſitas, à ſimplicioribus, aut magis directis, ejusmodi tumoribus hydropicis.

 Cui

Cui nostro cœpto ut Divina benedictio clementissimè adspiret est quod humillimis precibus ab illâ exoramus.

§. I.

EDEMA, sicut imprimis ab ipso *Hippocrate*, tum etiam plerisque *Græcis*, ita *univoce* adhibetur notationi *tumorum* propemodum quorumlibet, ut sola ferè experientia *restrictionem* ejus, ad certam tumorum *speciem*, Latinis imprimis suasisse videatur; sicuti germanis nostris distinctio usu recepta est, ipsis etiam antiquioribus non insolita: der hitzigen und kalten Geschwulst; Ita satis esse potest, uno verbo indicasse, quod præsente quoque loco, aliquanto pressius sequamur usu receptam hanc acceptionem, ut de *strictius* dicto *œdematoso* tumore & inflatione, præter ea, quæ paulò post adjicienda veniunt, loqui, intelligi velimus.

§. II.

Illud autem propius ad rem nostram pertinet, quod pro omni *homonymia* tempestivè præoccupanda, *strictiore* sensu dictum *œdema*, inter reliqua indolis suæ testimonia, etiam *sensus* cujusvis *exquisitioris absentiam*, comprehendat. Quæ vero circumstantia, cum in *podagricis* tumoribus, non solum non semper observetur; sed & potius, longe frequentius, contrario modo sese exerat: facit propterea hæc diversitas, jam velut ab ipso limine, præjudicium aliquod, nempe differentiam *podagricorum* tumorum, à *simplicioribus*, strictioris acceptionis *œdematibus*.

§. III.

Præterea, cum *stricte* dictum œdema, longè communius & familiarius, totum aliquem tractum corporis *σύζυγον* occupare soleat, imprimis *utrumque pedem*; Abit ab hoc in diversum etiam *podagricus* tumor, in eo, quod, licet

licet non valdè rarò etiam *utrumque pedem* occupet, satis tamen sæpè *alterutri* solum incumbat, aut ad minimum uni *plus*, quam alteri.

§. IV.

Porro, cum *simplex* œdema strictioris acceptionis, *pallidum* potius, quam *coloratum* sese sistat; Evenit subinde hic etiam diversum in *podagrico* tumore, utpote qui, licet non absolute, tamen satis frequenter, plus minus *ruboris* conjunctum habet.

§. V.

Denique vero, subest etiam illa inter *simplicem* œdematosum, & *podagricum* talem, tumorem, differentia, quod prior longè *pertinacius* atque durabilius obsidere soleat membra, quæ semel occupavit; aut certè, si v. g. per noctes velut evanescat, per diem tamen revertatur, idque constanter ita prosequatur; *Podagricus* tamen, imprimis *sibi relictus*, & nulla incommodiore tractatione interpellatus, magis per modum *paroxysmorum* quorundam, vel lenius iterum dissolvatur, & alio tempore denuo consurgat; vel ad minimum, per tales tanquam paraxysmos, alio tempore *auctior* revertatur, & iterum a sensibili illo augmento aliquid *remittat*. Cui adhuc etiam illud addi potest, quod familiarius, quando ita exacerbatus est, per aliquod tempus *constantius* illum gradum servet; neque tam facilè, ut *simplicius*, imprimis *recentius* adhuc œdema per noctes eximiè subsideat, & per dies solum increbescat.

§. VI.

Ex his, æquivocationis præoccupandæ gratia ita præmissis, adjecta adhuc una vel altera circumstantia, tam *podagram* in genere, quam hos, qui huic *tumescenti*, podagræ specialius expositi vivunt, concernente, proclive erit, quasi spicilegio instituto, in unum colligere descriptionem *tumoris œdematoso-podagrici*; quod sit *tumor œdema referens*, eveniens subjectis, sive jam aliunde *podagra*

ini-

initia expertis, ſive ad minimum cum notabili *ſenſu* in parte affecta connexus; Sæpè *unum* tantum pedem aut crus, aut certè *unum præ altero*, aliquando tamen etiam utrumque, occupans; Et quantò magis jam aſſueſcit aut inſoleſcit, etiam *pertinacius* durans, imo tandem perennitatem ſervans; Propter prægnantes tamen rationes, imprimis *Therapeuticas* vulgò uſitatas, à vero, præprimis *hydropico-aſcitico* œdemate bene diſtinguendus, neque, niſi admodum incommodè tractetur, verum *hydropis* periculum aut ſucceſſum, bene vero *retroceſſione* aut *repulſione* ſui, præſentiora, atque graviora ipſius vitæ, pericula minitans atque machinans. Quibus circumſtantiis adhuc addi poteſt, è dictis, quod *padagricus* talis tumor, antequam plane *continuitatem* format, quando *recurrendo* invadit, per longius tempus dies noctesque perſiſtat; tandem tamen etiam, poſt aliquot ſæpè ſeptimanas, inſigniter *remittens*, novis demum *paroxyſmis*, aliquando poſt ſatis longum intervallum plurium menſium, demum revertens.

§. VII.

Ut vero jam aliquanto preſſius tractationem hujus rei perſequamur, ante omnia attentiori conſiderationi aut recordationi commendandum venit, quod utique *podagra*, ut omnes affectus *rhevmatico-arthritici*, longè familiarius & velut magis ordinariè obtingat ſubjectis, textura corporis *laxiore* atque *ſpongioſiore* conſpicuis; qualia vulgata indè ab antiquitate appellatione, temperamenti *ſanguinei* & *phlegmatici*, aut ex utriſque *mixti*, notantur. Quantò magis autem ita dicta *Sanguinea* conſtitutio in iiſdem elucet, tantò magis etiam *ſenſui* exquiſitius moleſtis pathematibus afficiantur. Sicut ex adverſo, qui à *fervidius* ſanguinea conſtitutione magis ad *phlegmaticam* dictam, ferociorem, tendunt, etiam *podagrico-arthriticos*, imo ipſos *rhevmaticos* affectus & effectus, *ſtupidiores* ſolum experiantur: ita ut ſæpe de nulla alia re diſertius conquerantur,

quam

quam de *immobilitate* & *insensibilitate* partis, aut ad summum implicito illo, molestiæ magis quam doloris eximii, sensu, quem vulgus nostrum exprimit: Es seye ihnen das Glied eingeschlaffen, oder, es seye ihnen der Fuß voll, quod circumscribunt, als wann sie auf harten Beltz treten.

§. VIII.

Horum priores, absunt communiter longius à nostræ commemorationis tumoribus: Et quidem *duplici* conditione. Primò enim aliqui talium, imprimis à *sanguinea* ad *cholericam* texturam declinantes, adeo potius *contrarium* experiuntur, ut sub doloribus suis, imprimis autem sensim senescentibus f. mitescentibus, verius *extenuationem* aliquam partis affectæ animadvertant; eousque, ut aliquando ad *coxendicem* usque assurgens hæc, quod omninò est, *strictura* harum partium, plus minus sensibiliter *spastica*, (uti totus *dolor podagricus*, principaliter, *spasticis vellicationibus* innititur) de *aridura* partis solliciti evadant; Dum hæc ipsa *strictoria extenuatio* sæpe satis diu incumbit, priusquam sensim in ordinem redeat. Ad quam rem etiam facit, vigilantius, in proprio suo corpore, facta observatio *Sydenhamii*, quod per initia insultuum podagricorum, *venæ* per longitudinem cruris, atque pedem, magis *inflari* sentiantur, nempè certè *spasticis* musculorum, sub quibus passim repunt, pressionibus.

§. IX.

Secundo vero, *spongiosioribus*, sed *fervidius* Sanguineis, eveniunt quidem etiam aliquando *inflationes* tales aliquæ, seu intumescentiæ; sed iterum duplici differentia. Dum aliquibus quidem non, nisi *particulariter* solum, circà *genua* aut *malleolos*, aut *pollicem* pedis, aut confinia ejus, umb den Ballen, eveniunt; Et iterum, aliis, per *initia* insultus, aliis propius ad *declinationem* doloris. Quibus vero etiam talibus latius se diffundit hujusmodi *tumor*, illis non tam *œdematosus*, *molliculus*, *impressionem digitorum*

admittens, *pallidus*, obtingit; sed *durus*, *rubicundus*, tactui quoque *calidior*, quam in partibus ſanis reliquis deprehendatur.

§. X.

Quemadmodùm autem reliquæ etiam, *Rheumatum*, atque *arthritidis* & *podagræ*, circumſtantiæ, circumſpectæ conſiderationi ſatis perſuadere poſſunt, quod in his affectibus *appulſus* copioſior ſanguinis, ſive uti vulgus loquitur, *Decubitus* humorum (unde quoque *Rheumatis* nomen) ad partes ita affectas eveniat; ita, ubi ſincerior *ſanguis* abundans, in culpâ hâc eſt, conſpirante partium poroſarum ſpongioſitate, contingunt ſtagnationes tales evidentiùs *ſanguineæ*.

§. XI.

Ubi verò *ſeroſior* eſt M. S. neæ craſis à *ſtagnatione* tali altius penetrans diffuſio, *ſeroſo-aquoſæ* ſubſtantiæ, format ſtagnationem talem *ſeroſo-balituoſam*, in partibus magis exſanguibus uſque, nempè ipſâ *cute:* (affectis tamen pariter etiam ſubjacentibus muſculoſis) unde tumor talis *ædematoſus* originem ſuam capeſſit.

§. XII.

Servat autem propemodùm uterque hic tumor, nempè tam *durus* ille, *rubicundus*, quam hic *ædematoſus*, communem illum morem, ut uterque, imprimis quantò importuniores ſeſe gerunt, tantò certius ita in *conſuetudinem* abeant, ut etiam ſoluto præſente *paroxyſmo*, tamen illic *rubore* & *duritie*, cum *furfuraceis*, imò *ſquamoſis*, areſcentibus, cuticulæ ſeceſſionibus pruriginoſis, ſenſim *perennent*; Et *poſterior*, cum ſtabili *ædemate*. Nempè per adſueſcentem, valdè dilatatis poris, (& in priore caſu, ipſis minimis cutaneis vaſculis,) primò dilatationem, & ſenſim, in dilatatis meatibus, ſtabiliores humorum (utut progreſſum ſervantium) receptûs.

§. XIII.

§. XIII.

Ultimo verò loco meritò ipsi etiam adhuc historiæ horum tumorum addenda venit, suprà quoque jam allegata, circumstantia illa, quod admodùm promtè ab exterioribus partibus *repellantur*; & quantò importunius hoc fit & præcipitantius, in *interioribus*, restagnationes, non solùm graviter *oppletivas*, sed planè etiam *inflammatorias*, parturiant; Et probabilissimè quidem omnium circà ipsum *hepar*. Quæ res, uti non raro etiam sine *externis* restrictionibus materialibus, solùm per *animi pathemata*, aut alias *tacitas* occasiones provocatur, ita, non raris exemplis, adeò malè cedit patientibus, ut illos non solùm in periculum, sed sæpenumero etiam ultimum vitæ damnum, conjiciat.

§. XIV.

Cui ipsi rei, ut jam alibi conveniente loco monitum est, imprimis inniti videtur observatio illa, ipsi plebi (uti propemodùm solet in animadversione simplicis experientiæ minùs inepta esse) familiaris, quod homines, qui adhuc *juniores*, & ut illa circumscribit, infrà *quadragesimum* annum, podagrâ corripi incipiunt, (imprimis ferociore) non pertingant ad senium. Cum ex adverso, qui jam *seniores* hac affici incipiunt, satis sæpè ad longam senectutem pertingant. Qua de re, suo tempore, etiam publicæ novellæ, incertum verè nec ne, aliquid narraverunt, quod *Monarchæ* cuidam, cum *primos* manifestiores *podagræ* insultus, jam quinquagenario major, experiretur, Medici solenniter gratulati sint, tanquam de certiore indicio aut præsagio, prolongandæ diutius vitæ ejus.

§. XV.

Cujus eventus, (quandoquidem omnino experientiæ suffragio nequaquam destituitur,) nulla certior, aut sanè probabilior, occurrit ratio, nisi quod *juniore* adhuc ætate, non solùm ad *animi*, sed omninò etiam ad *corporis*

(vitalium) motuum exagitationes longè propensior sit indoles humana; inquietior, impatientior, audacior, inconstantior; quàm *senilis*. Unde facilius illi turbulentiores ejusmodi *jactationes* atque *fluctuationes* obtingunt, ut minus pertinaciter, in una ignobiliore parte, factas eò congestiones sanguinis detineant, & ab illis sensim solùm atque languidè iterum remittant; sed potius audacius, ad *repressionem* talium ad interiora provolent; ubi festinatis talibus coacervationibus, infarctus, restagnationes, stases, inflammationes obtingunt.

§. XVI.

Meretur autem utique huic historiæ, ultimo loco illud annecti, quod tumores tales *œdematodes*, etiam aliquando accidere soleant viris *podagram* nondum manifestius sentientibus interim *motibus hæmorrhoidalibus*, plus minus sensibiliter affectis; Quæ res inter alios, illum etiam usum habet, ut indè *συζυγία* illa *hæmorrhoidalium congestionum* cum *podagricis* lucem adipiscatur, ut de eâ re jam multoties actum est à D. D. Præside.

§. XVII.

Ex hâc autem, verâ constitutione talium, tumorum, uti verior *Diagnosis* eorundem, sine ullâ difficultate hauriri potest; ita facit huc imprimis circumstantia illa, quod *tumores* tales multoties *alterutrum* solùm pedem, ad minimùm per *initia*, aut unum *præ altero* gravius occupent; Cui tantò magis suffragatur altera, dùm hujusmodi tumores longe certius manifestiore aliquo *sensu* molesto stipantur, quam *simplices* œdematosi. Id quod imprimis usum habet, in *fœminino* sexu; cui licet *podagra* communissimæ crassioris sensationis, adeoque etiam acceptionis & dijudicationis minus familiaris esse sentiatur quam viris; sed ferè *rhevmaticis* pathematibus annumeretur; Tamen hic etiam conveniens discretio observanda venit, talium *tumorum*, à verius & simplicius *œdematosis*.

§. XVIII.

§. XVIII.

Diagnosi justæ, subjungitur *Prognosis*. Ubi videlicet illud certum est, quod cum *œdemata* pedum simpliciora, nisi quidem etiam ab *externis* causis, ab refrigeratione, imprimis humida, aut *contusionibus* gravioribus, *fracturis* &c. ortum habeant, certissimè *viscerum abdominis* malam constitutionem pro fundamento agnoscant: adeoque longè altius reconditum, pertinacius atque gravius, periculum portendant; Hi tumores, de quibus nobis sermo est, utpote certius ab *exteriore* causâ, nempe *stagnatione* humorum ad has partes restricta, tantisper sine nobiliorum labe, prognati, minus propinqui periculi foveant. Quæ consideratio, si nullum alium haberet usum, hunc certè habet minime contemnendum, quod in genere non æque *festinatam* curationem, & *pertinacem* hujus intentionis prosecutionem, efflagitet; adeoque nullam *necessitatem* inferat, irrequietis, & profectò sæpè inconditis, imò adversis veræ suæ indoli, tentaminibus artificiosis, incumbendi atque insistendi. Quandoquidem his, (si modò sine præjudicio & præoccupatione irritarum speculationum, ipsa veritas experientiæ rectè & sincerè expendatur,) nihil familiarius impetratur, nisi ut patientes è malo in deterius prolabantur, & tandem paradoxon illud, prudentiori considerationi equidem certum reddatur, ut patientes tales revera demùm in *viscerum* etiam obstipationes conjiciantur, & verus *hydrops* illis denique concilietur, aut certè acceleretur. Et inde minus circumspectæ & fundatæ speculationi, loco cauti intellectus, demùm iterum novus error ita objiciatur, aut certè antiquus obfirmetur, quasi *œdemata* talia, cum tandem verioris *hydropis* signa suffragentur, jam ab ipsis sui *initiis*, verè *hydropica* fuerint. Quam considerationem, non sine prægnantibus causis, Practicis (qui nempè soli de his rebus exactis dispiciendi occasione potiuntur,) iterum iterumque commendamus.

§. XIX.

Ut enim propius jam, *prognosticâ* consideratione, ad *comparationem* ejus cum *Therapiâ* progressum faciamus, benè utique considerandum venit, quomodo è plerorumque practicorum Autorum peritorum observatione, remedia, quæ alias ad *hydropis* curam destinari consueverunt, *podagrico arthriticis* affectibus adeò non quadrent, ut illis potius manifestius incommoda, seu disertè rem eloquendo, alia minus, alia magis, *noxia*, sentiantur.

§. XX.

Quamvis enim etiam, (si secundùm veram, & non solùm à malefido auditû, immaturâ credulitate transsumtam, experientiam res æstimetur,) vero *hydropi* & *hydropis ædematibus*, etiam quanta libet ejusmodi tentamina & conamina, Medica, parum solatii afferant; quin tandem varie defatigatis ægris, & vario sumtu exhaustis, morbus talis ad sepulchrum comes persistat; Imprimis, ut ordinarium est in subjectis delicatioribus aut corporis diffusiore mole jam ante morbum, aut à morbo, prægravatis, si *motus voluntarii* nullus amplius pateat usus & concursus: aut *ætas*, patientis, aut morbi, eò ipso jam pròfundius innidulati, vires jam imminuerint; Tamen quicquid etiam *communiter*, quantumcunque adhuc efficax habetur aut observatur ad verè *hydropicam* constitutionem, *podagricæ* constitutioni dicto modo minus conducere, plerique propemodùm peritè circumspectiores, uno ore profitentur.

§. XXI.

Ita enim *purgationes*, pro affatim evacuanda copiosiore jam *serositate* restagnante, tum ab antiquioribus commendatæ, tum à *Martino Listero* quasi novâ autoritate munitæ, quam parum conveniant *podagrico arthriticis* affectibus (si næniam illam, de *hermodactylis*, qui ab ipsis usque *articulis* trahere debeant, ipsa quoque *falsa* hypothesi ibi repositos frigidos lentos humores, seponas) ex eo satis

satis dilucescit quod ferè nemini practicorum probentur, ut proprii etiam corporis sui experientiâ edoctus *Sydenham*, potius *purgationem* etiam in genere, *podagræ* magis turbandæ quam juvandæ, aptam atque efficacem judicet.

§. XXII.

Secundò, cum *hydropico-œdematosis* spissioribus humorum dyscrasiis, equidem à totâ propemodum schola Medica destinentur *incidentia*, *resolventia* & plus minus *colliquantia* medicamenta; quæ interim à recentiore schola, præsertim è *salium* abstersivovum censu peti solent; Occurrunt profectò passim practici, & inter hos imprimis Empirici circumspectiores (qui nempè à solâ experientia effectum medicamentorum metiuntur) qui *salinorum* talium usu, uti *hydropem* verum, nimis quam parum sublevari, communis observatio confirmat, ita *podagricos* affectus ab iisdem (communiter usitatis, inquam, *salinis*, tam *mediis*, quam aliorum variorum generum) potius *exacerbari* animadvertunt; Quod aliquos talium eâ formulâ exprimere audias: Man treibe es denen Patienten mehr damit in die Glieder. Ut etiam indè solertioribus aliquibus Empiricis consilium natum meminerim, quando *podagricis interna* pathemata, à podagra extrinsecus *stupefactâ*, incumbunt, per similia medicamenta eandem iterum extrorsum, in artus consuetos, depellendi atque propulsandi.

§. XXIII.

Tertiò, cum pro *hydropicorum* œdematum cura, passim laudabilia, imò necessaria habeantur *Aperientia*; talia verò à recentiore Medicâ schola non aliunde certiora petenda ducantur, quam è *martialium* præparatorum cœtu; Imperitum propemodùm planè aut cerè penitus inadvertentem, ut ita loqui liceat, esse oportet, practicorum eventuum, qui nesciat quod *martialia* adhuc magis atque sensibilius, quam *salina*, effectum illum podagram in artus *impellendi*, aut in illis *exacerbandi*, exerant: Quamvis

etiam

etiam quotidiana praxis satis docere possit, quam parum conceptæ spei respondentis effectus *martialia*, vero *hydropico* œdemati afferant; ut potius solertiore animadversione admodùm communiter satis eluceat, quod hoc ipsum quoque morbi genus, familiarius sensibiliter ab illis *exasperetur*, quam ullâ ratione mitigetur. Nempè longè certius *adstrictoria viarum*, quam ullo modo *attenuatoria humorum*, efficaciâ: Unde in hoc ipso casu, oppido quam necessaria esset, theoretica illa discretio, quod uti, sive supposita, sive vera, *obstructio* illa glandularum, sicut communius ab *humorum* infarctu, & horum, ad talem subeundum, spissiore intemperie, deduci debeat; Ita his infarctibus expediendis, non alia remedia propius quadrare atque convenire possint, quam quæ *humores* tales, nequaquam autem *vias* & *solidescentes* partes, potentius afficere possint; Cum alias etiam simplici sanæ rationi nihil manifestius esse possit, quam illud, quod qualicunque *viarum* strictura, sine præcedente *materiæ* inhærentis sufficiente attenuatione, adeoque *mobilitate* ad cedendum, nihil certius sequi possit, quam firmior materiæ ita impactæ *constipatio* adeoque omni respectu infelicior eventus. Quorsum etiam non immeritò referri debet, communis experientiæ observatio illa, quod *acidulæ* hydropicis solennius funestæ sint, quam salutares; unde plebeja illa proverbialis formula enata est: Wenn ein Wassersüchtiger in den Sauer-Brunnen reisen wolle, möge er den Sarg in Vorrath mit sich führen.

§. XXIV.

Ubi etiam cum hâc de re mentio hæc convenientem locum omninò præbeat, non immeritò laudare posse nobis videmur epistolium illud, quod Polonus quidam nobilis *Arcissewski*, de successu curationis podagræ suæ, per medicamenta à *Cnæffelio* suppeditata, ad amicum exaravit. Cum enim ibi præcipuum remedium, ut ipse quidem ominatur,

natur,

natur, artificiosum, acidularum imprimis æmulum fuisse memoret, sed aliquantò sensibiliter acidius quam nativæ esse solent; tamen tota historia nihil amplius docet, nisi quod ab annuo, & quod excurrit, medicamenti hujus usu, nihil amplius reportaverit, nisi ita mediocre solatium suæ podagræ, ut paulò minus credulo facilè oriri possit dubium, an illud ipsum pleno jure medicamento ipsi vindicandum venire queat; Certissimè vero dilucescat, quod adeò insigne operæ pretium nequaquam fuerit. Ceterum, nec tota illâ historia proprie ad nostræ tractationis affectum respicit, nempè *ædematoden* podagricum tumorem, sed solùm de parvâ efficacia *martialium* testimonium perhibet; quorum sinister effectus ad hunc eundem affectum, probabilius per largiorem *aciditatem* mitigatus fuisse videtur. Quæ ipsa etiam, qualemcunque usum reliquæ podagræ *mitigativum*, magis præstare potuit, *mediatâ* illâ vulgò dicta *refrigeratione*, seu *contemperatione turgidioris* sanguinis, (quô nomine *nitrum* aliis omnibus palmam hic etiam præripit) quam ulla alia magis specifica operandi ratione.

§. XXV.

Inserere quoque licebit disparitatem remedii ad *hydropica* œdemata & *podagram* contrariæ efficaciæ. Dum ad *hydropem* nemo propemodùm probat, nedum laudat *V. S.nes*; Quæ tamen, imprimis *præservativo* usu, ad *podagram* reliquam (licet non æque ad hanc *ædematoden*) prudente administratione, longè certius utiles, quam ullo modo suspectæ, sunt.

§. XXVI.

Quamvis autem remedia, & *positiva* regimina, *Diaphoretica*, ad curam *hydropicorum ædematum*, non æque ita absolutè commendentur; Tamen, cum aliquibus placeant, notandum etiam de illis hic venit, quod eadem, repeto, *directo* usu atque scopo, ipsi quoque *podagræ* sine peculiari circumspectione & subordinatione, minus quadrent:

adeoque etiam h. l. diſparitas talis obſervanda atque notanda veniat.

§. XXVII.

Quemadmodum autem nemo fortè circumſpectior in *hydropicis* œdematibus, *opiatorum* uſum probaverit; cum *hydrops* jam ad *agrypnias*, communiſſimè *orthopnoicas* devolutus, certè *narcoticas* ſopitiones impatientiſſimè ferat: tamen in tantâ, hodie etiam, circà hanc rem tum confuſione, tum audaciâ, breviter notare licuerit, quod hæc eadem *opiata*, etiam *podagricis* plus minus *dolorificis œdematibus*, nihilo magis conducant; ſed potius *ſtuporem*, ante omnia verò *pertinaciam* mali hujus, augeant, & illud imposterum etiam melioris efficaciæ remediis immorigerum atque inobediens reddant.

§ XXVIII.

Sicut autem juſtæ, (atque verè ſolidæ experientiæ atque rationi ſuperſtructæ,) *cautelæ* practicæ, omnibus, neceſſitatum artis, & calamitatum à confuſionibus nimium quam familiaribus modernis, ſatis peritis, non parvi pretii, dignitatis, atque uſus, habebuntur; ita cum tamen etiam ſub his anguſtiis ſolliciti practici, imprimis juniores, paſſim, non ſolùm ad *privativum*, ſed quam maximè ad *poſitivum*, conſilium, reſpectare ſoleant, atque adeo, ſive probata, ſive planè intermiſſa, meliore *theoria* & hinc per propriam penſitationem formandis debitis *indicationibus*, magis anhelent ſimplices *præſcriptiones* & *therapias:* ſeu *methodi* & *materiæ medicæ*, cui plus, quam quotidianâ experientiâ ſpem deſtituentibus aliis protritis, fidere atque inſiſtere ſit integrum; Non deerimus propterea etiam huic officio, quin, quæ rationi atque experientiæ magis reſpondere cognovimus, ſuppeditemus.

§. XXIX.

Primo itaque omnium loco meritò collocamus, reſpectum, in hoc etiam ſymptomate podagrico, decenter haben-

bendum, ad affectum *primarium*; nempè *podagram* ipsam, atque veram ejus indolem, in ordine ad tractationem Medicam. Quæ, cum apud omnes peritiores, & ad minimum ipso usu cautiores redditos, tantó magis autem justis quoque theoreticis, rationibus potitos, agnoscatur imprimis *chronica*, *pertinax* atque *contumax*; & sub hâc ipsâ tamen *obstinatione*, manifestò minoris *periculi*, quam audaciores turbationes, per fortiores medicationes ipsi inductæ: venit proindè certè etiam hæc conditio, meritò in considerationem justissimam, ut ad animum revocetur, quemadmodum affectus ipse totus, valdè *chronicæ* sit indolis; ita etiam *symptoma* hoc ejus, similiter *chronicam* magis, quam *acutam* aut *præcipitem* indolem referens, pari existimatione dignum esse; neque mereri, nedùm *efflagitare*, uti ipsi præsentiore, seu potius *importuniore* aliqua, tractatione, obviam eatur.

§. XXX.

Sicut enim antiquiores (quibus etiam ferè ubilibet manifesta prærogativa, tum in genere, *philosophicæ*, nempè distinctioris atque benè discretivæ, eruditionis, & peritæ *practicæ* atque *pragmaticæ* circumspectionis, præ variis in hodierna scribendi promtitudine, multa immatura promentibus, non potest denegari) dexterrimè commendant, discretionem *symptomatis* qualiscunque segnioris; & contrà, *urgentis*: ita certè in præsente quoque nostræ tractationis subjecto vindicat sibi discretio hæc eximium planè locum. Dum videlicet, quia utique *œdemata* pedum *hydropicæ* indolis, justius suspecta non ægris solùm, sed passim etiam Medicis, magnam formidinem atque sollicitudinem injiciunt: adeoque facilè hinc, & ferè familiariter, *urgentium* symtomatum censui adscribuntur; Eoque nomine, trepidiores imprimis, ad festinandum, nisi quidem præcipitandum, quodcunque auxilium inducunt; (Quod tamen ipsum etiam, quo jure vel inju-

ria, & consequenter bono aut minus, usu & eventu, fiat, non est præsentis loci enucleare.) Certè illud, de quo nobis hic est sermo, *œdema*, ipsum quoque *propriâ suâ indole*, non esse adeo *præcipitis* mali effectus, adeoque tam *urgentis* indicationis, prudenter omninò eliciendum venit è de scriptâ ejus historiâ. Dum videlicet non solùm passim, finitis *paroxysmis*, ipsum quoque iterum subsidet; verùm ubi etiam pertinacius durat, satis sæpè tamen per *annos* adhuc benè multos, extrà *vitæ* damnum, aut tam *propinquum* periculum, vertantur ægri; Dummodo non per minus convenientem tractationem, vel in verum *hydropem* degeneret, vel *retropulsionibus*, præsentius periculum acutioris typi, ægris facessat.

§. XXXI.

E quâ consideratione, Medico rerum suarum satagenti, ante omnia illud bonum *consilium* nasci potest, ut maturâ deliberatione expendere valeat, quid tandem salutaris opis *invenire*, atque executionem ejus *decernere*, liceat. Sicut enim justissima, imò passim necessariâ contemplatione atque æstimatione, partim *Energiæ* aut *Synergiæ*, partim *tolerantiæ* aut *sensibilitatis*, Naturæ ægrorum, partim *indolis* & *progressus* ipsorum morborum, non modo *ordine* primum, sed sæpè etiam *dignitate* non posterius, est *theorema Therapeuticum*; quando Medicus ad patientem vocatur, AN utique statim agendum aliquid sit, pharmaciâ seu *artificialibus* remediis; & non potius observanda veniat, Naturæ ipsius salutaris operatio, aut ad minimum talis *tolerantia*, cui *placidè*, *tranquillè*, *moderatè* subveniendo, melius consuli possit, quam turbulentiore *exagitatione*, per remedia imprimis *activiora*, præproperè ingesta; ita facilè certè est intelligere, quod etiam præsentis nostræ tractationis affectus, huic contemplationi omninò locum præbeat, & *festinatis* remediis, dùm iis non ita promiscuè auscultat, potius *irritari* aut *turbari* possit: Tantò magis

autem

autem affectus ipse *fundamentalis*, cujus hic *symptoma* tantùm est, nempè ipsa *Podagra*.

§. XXXII.

Secundò, venit etiam expendendum, utrum commodiùs, aut certè non contemnenda efficacia, affectui huic etiam aliquid levaminis conciliari possit, *præservativa* seu *præoccupatoriâ* methodo sive magis *directè* ad ipsum spectante; nempè *serosæ* colluviei imminutione, *extrà paroxysmum* ipsum universum, ferè semper tolerabiliore, quam in ipso paroxysmo: sive ad totum *paroxysmum podagricum*, quà talem, respiciente, per ventilationes *sanguinis*; sive V. S. nibus, sive scarificationibus: sive hirudinibus, & aliis, quantum ejus fieri potest, *hæmorrhoidalibus* promotionibus.

§. XXXIII.

Quod autem *Curationem in paroxysmo* ipso, & circà eundem, concernit, suppeditat hoc tam ipsa experientia, quam illustrat propemodùm sana ratio, quod, sicut magis ordinariè, tumor talis, *latiùs* præsertim se diffundens, magis demum *succedat* paroxysmo podagrico, aut certè *declinationi* ejus *accedat*. Quicquid autem tandem aliquantò magis *directè* ad hunc *tumorem* efficax invenitur, podagrico *paroxysmo* reliquo, minus tolerabile fit (quæ est hujus, admodùm familiariter, impatiens sensibilitas) etiam opportunitas huic propriè tumori succurrendi, major certè est *declinante* jam mitescente qualicunque illâ sensibilitate *podagricâ*, quam *incipiente* demum, aut quam maxime *vigente*.

§. XXXIV

Subest tamen utique hic *duplex* difficultas; una *essentialis*, sed aliquantò facilius expedienda; Altera *accidentalis*, sed oppidò magis prægravans, tam bonam spem, quam salutarem opem. *Prior* illa, versatur in *podagræ* talis, aliquando ita *stupida* gravitate solùm atque *torpore* pedis

dis, ut exquisitior aliquis sensus, nedum *dolor* minus distinctè percipiatur. Expedit interim rem, nempè *paroxysmi* præsentiam, reliquod *symptomatum* tunc temporis sensibilior *syndrome*; *languoris* universalioris, sed tamen admodùm *inquieti*, *appetitus prostrationis*, *somni pauci* & *parvi*, sub quantacunque etiam *somnolentiâ levior* sed plus minus *assidua febricula*, *turbatio capitis*, major quam ordinariè *morositas* & *impatientia* ægri, & *urinæ* temporariæ alterationes, cum *alvi* etiam inconstantiâ &c. quorum omnium præsentia, non solùm tantò probabiliorem, sed prorsus evidentioremreddit, *paroxysmi* talis præsentiam.

§. XXXV.

Altera vero, *deterior*, circumstantia, consistit in hujusmodi affectus *podagrici*, turbatione & incondito more, per tractationes podagricis affectibus minùs convenientes, introducto; ubi tum alia artificia, sine certâ ratione, aut verâ efficaciâ ad talem effectum, tentata, tum eminenter inconditus usus *Opii*, argui merentur. Utpote qualibus, imprimis autem *Opio*, affectus tales, non solùm in *confusionem*, sed & in summam *pertinaciam*, familiarissimè conjiciuntur. Cujus certè rei exempla, hinc, indè observandi uberes hodierno die se offerunt occasiones; Nempè *podagricorum* affectuum, ex usitatis alioquin *alternationibus*, & sæpè satis longis *intervallis* in *continuitatem* quandam, & insolitorum etiam symptomatum eventus prolabentium; Quæ perversio posthac etiam bonis methodis atque medicamentis, ad irritum redigendis sufficit.

§. XXXVI.

Invento autem opportuniore tempore, huic incommodo, nempè *tumori* tali, veluti *seorsim*, occurrendi: nempè *extrà* podagricum paroxysmum, aut certè *mitescente* jam præcipuo ejus impetu; nempè si tumor talis diu etiam post podagricum *paroxysmum* continuare sentitur; Habent præcipuum usum *pillulæ* D. D. Præsidis *balsalsamicæ*;

tan-

tantò magis autem, *ſpecialiùs* ad *tumores* inſtructæ. Interim poteſt hic etiam aliquid *ſquilla*, & ex illa præparata: tam *ſyrupus* de ſquillâ, quam *Oxymel* ſquilliticum; in quô, ſi *acetoſitas* fortè metuatur, poteſt illa facilè ſubigi admixtione *abſorbentis* alicujus ante exhibitionem. Et ſicut alia quoque *mitiora cathartica*, utilitate ſua hic non carent, ita abſtinendum tamen venit ab *importunioribus* purgantibus, præſertim ſub quantumcunque *ſenſibiliore* patientium conſtitutione.

§. XXXVII.

Sicut autem uſitatisſima, imprimis tamen propiorum temporum, praxis, familiarisſimè alienis à rei veritate opinionibus, tam de cauſis morborum quam efficaciâ medicamentorum, turbida, in dando conſilio medico pasſim ingentem necesſitatem parit, *privativam* methodum veluti præmittendi: nempè à quibus *methodis* & *remediis abſtinendum* ſit, monendi; id quod proinde mihi Præſidi uſitatum eſt, priusquam ad *poſitivum* ſuaſum remediorum accedam; Ita neceſſarium omninò videtur, in præſentis etiam tractationis ſubjecto, *cautelas* jam ſuprà allegatas iterum iterumque commendare. Nempè partim veram diſcretionem *podagrici tumoris*, à quocunque alio *œdematoſo*, concernentes; partim medicamentorum vulgò dictorum *Aperientium*, & inter hæc temerè caput extollentium *Martialium*, eminentisſimè autem *opiatorum*, abuſum, & infeliciores effectus, notantes.

§. XXXVIII.

Ad *poſitivam* autem methodum atque medicationem, noſtra theoria atque praxi, ratione, inquam, & experientiâ, meritò referimus, peritè prudentem uſum *præſervatorium* & *præoccupatorium*, *ventilationis ſanguinis*. Quamvis enim hic plus utilitatis habeat, ad ipſam *podagram*, quam ad hoc ejus *ſymptoma*; tamen, cum *ſymtoma* hoc à *primario* affectu dependeat, ut ad minimùm illius *exacer-*

batio-

bationes, etiam hoc *ſymptoma* non ſolùm *foveant*, ſed etiam *exaſperent*; certè quicquid illi uſum aliquem præſtare poteſt, huic etiam ſubſerviturum eſſe, nemo facilè in dubium vocaverit.

§. XXXIX.

Quemadmodùm autem nequaquam temerè uſi ſumus locutione illa, quod V.S.nis ſeu *ſanguinis ventilationis*, *peritè prudens* uſus *unicè*, hic locum inveniat; ita certè hujus veras rationes atque conditiones exprimere, non fert præſentis loci anguſtia, ſed veniunt illæ potius aliundè petendæ atque comprehendendæ. Sicut etiam illius circumſtantiæ atque conditionis vera indoles, quomodo *ventilationes* tales, *præſervativè* potius, quam *curativè* adminiſtrari debeant atque exerceri. Ubi imprimis repetenda venit excuſatio illa, in conſiderantis certè, uti imperitæ *contradictionis* nervum infringens, quod *ſanguinis ventilatione podagra non poſſit curari*, adeoque hæc non ſint remedium, ad hoc genus pathematis *ſufficiens*.

§. XL.

Sicut enim *crudæ* hujusmodi objectioni, etiam regeri poſſit *experientia* contraria, nempè *podagræ*, per maximè convenientes, ab ipſa *Natura* ſuſceptas, quin *arte* etiam imitando ſuppletas, ventilationes ſanguinis, omninò ſublatæ. Ita cum tamen etiam talis experientia, reverà *conditionibus* ſuis circumſcripta ſit; ne eâdem *confuſa* argumentandi ratione, obviam procedamus talibus dubitatoribus, ſufficere poterit, primo loco, omnibus practicis notam diſtinctionem, ipſa noſtra ſententiâ jam expreſſam, commendare, inter efficaciam *qualiscunque*, ſi vel maximè, non *pleni* & *abſoluti* uſus, *præſervatoriam*; & plenam *curatoriam*. Cum enim vel tyronibus decenter inſtitutis, notum eſſe debeat, quod *præſervatio*, reſpiciat cauſas *antecedentes*; quarum ſubtractione, (cum tam facilè, nedùm ſemper *plenariæ* hæc impetrari non poſſit,) ſi non *totus* even-

eventus intercipi valeat, tamen *vires* & *ferocia* ejus, *accidere* & infringere liceat; ita facilè erit applicationem ad nervum hujus disceptationis facere, & antiquum illud assequi, quod in necessitatibus, præstet utique *aliquid*, quam planè *nihil* impetravisse.

§. XLI.

Ceterùm, brevissimis comprehendere utique licet, conditiones, quæ hujus etiam remedii usum *opportunum*, magis aut minus ratum efficere possint; nempè vel *recentior* adhuc podagræ, & hujus etiam *symptomatis* ejus, ætas: vel jam *inveteratus* habitus & *adsuefacta* jam major insolentia, atque pertinacia. *Moderatior*, etiam atque *ordinatior*, insultus; aut contra: sibi magis relictus atque *constans mos*, aut malo patientis regimine, aut inconditis artificiis, *turbatus*), aut, quæ *opiatorum* est infamia, in *pertinacem contumaciam* deductus. E quibus posteriora, ut omnia bona consilia, ita etiam hujus *præservativi* subsidii, usum, minuunt, aut frustrantur.

§. XLII.

Quemadmodùm autem pressiùs *ordinem*, aut planè *doses*, nedùm *formulas*, remediorum, atque usus eorundem præscribere, propterea semper otiosum ducimus, quia, cum hæres *propriè* ipsam practicam administrationem respiciant, in practico verò, talia in se recepturo, meritò præsupponatur talium rerum perita prudentia, *Empiricis* autem nudis, neque deceat, nec etiam liceat aut possibile sit, secundùm circumstantiarum variarum, earumque *opportunitatis* aut *necessitatis*, diversitatem, omnia strictè determinata dare atque definire. Propterea, inquam, hujusmodi præscriptionibus immorari, consultum non ducimus; ita commendata solùm omni debita peritè prudente circumspectione & administratione, potiùs unum & alterum exemplum hujus nostri negotii, memorare utilius ducimus.

§. XLIII.

Vir generosus, in rebus satis lautis constitutus, vini æque, atque reliquæ diætæ abusibus indulgens, *podagricos* insultus experiri incipit, circà quadragesimum, aut circiter, ætatis annum, usitatis autem passim artificiis illis intactâ *causa*, *effectum* solum respicientibus, *palliativis*, *stupefacientibus obtundentibus*, atque *demulcentibus*, mox reportavit, *stabile œdema* pedum, quod antea in *phlegmatico sanguineo* corporis habitu, *paroxysmis* solum concursans senserat. Quid tandem prævalescenti *tumori*, remediorum sit adhibitum, cum nobis non liqueat, suffecerit historiam ipsam prosequi, quæ paucissimis illis comprehenditur, quod *œdema* hoc, non solum *coxas* & *lumbos* sensim superaverit, sed etiam *abdomen* totum, formali *hydropica, ascitica* inflatione, immodicè distentum, cum *febre lentâ*, *appetitus lapsu* in dies augescente, & reliquis usitatis ingravescentis *hydropis* pathematibus, ad *orthopnœam* processerit; Consultus medicus, pilulas commendavit atque suppeditavit, quibus semel debellatum esse *hydropem*, compertum habere asseveravit. Cum autem massa solum transmissâ, & imperatâ inde efformatione pilularum, ad mediocris pisi magnitudinem, ingens *supercatharsis* secuta esset, adscriptus est hic eventus imprudentiori mensuræ pillularum observationi. Cum autem statim, ab hoc eventu, cum totali appetitus dejectione, omnia reliqua symtomata, *febris*, *agrypnia*, *orthopnœa*, immodicè insolescerent, & *scroti* atque *præputii* inflatio, præcipiti impetu, majori etiam abdominis expansioni accederent, frustrà adhibitis aliis remediis, obiit.

§. XLIV.

Alius patiens, omnia reliqua similia expertus, excepto eo, quod pilulæ eædem jam formatæ transmissæ, in ægro tamen ad purgationes admodùm sensili, adhuc majorem

rem hypercatharsin promovissent; patiens etiam ad thermas, cum magnâ fiduciâ transmissus, sed nimio debilior indè revectus, in solâ morte remedium invenit. Ætate tamen jam provectior priore, nempè aliquot suprà quinquaginta annos assecutus.

§. XLV.

Alius patiens similiter manifestè *podagricus*, imò *arthritico-podagricus*, nec ipse circà diætam usquam scrupulosior, cum similem tumorem à plusculo jam tempore incurrisset, interim tamen etiam valdè, sensibiles *dolores*, & imprimis *unius* pedis exquisitiores *præ altero* tolerans, tum medico, tum proprio judicio & consilio, (rei *pharmacevticæ* addictus) pro *hydropico* declaratus atque tractatus fortè quidem adhuc vivit, sed in ancipiti spe, ut nobis memoratæ sunt circumstantiæ, tolerabilioris eventus: nisi quo practici concurrentis ope uti memoretur, cujus nota nobis peritia atque prudentia, spem meliorem nobis adhuc quoque facit.

§. XLVI.

Vir, meritâ nominis celebritate, atque dignitatum gradu, illustris, duos aut tres ultra sexagesimum annos assecutus & paulò juniore adhuc ætate, inter reliquam satis firmam valetudinem, diætæ etiam nequaquam strictâ, sine incommodis usus; imprimis (quod propemodùm sanitatis ejus constantioris fundamentum haberi merebatur,) inde à triginta retrò annis, *hæmorrhoidum* fluxu periodico, satis ordinato atque moderato, affectus, senserat jam à decem aut amplius, annis, in *alterutro* pede, *obtusiores* tales motus *spasticos podagricos*, quos pro talibus, oblatis occasionibus, ego Præses declaraveram. Mutatâ sensim diætâ, & sedentariâ magis vitæ ratione, cum tacitis curis & iracundiis, (licet prudenter repressis ac dissi-

mulatis,) indulgens etiam, aliunde, & paſſim, pro more commendatis remediis, *volatilibus urinoſis* magis magisque *cachecticum* incurrit habitum, imprimis diffuſo atque pingui alioquin corpore oneratus. Profectus, jam ſuprà notatâ ætate, ad *acidulas*, & his, cum ſenſibili incommodo, per 14. dies uſus, rediit jam omnibus viſibilibus circumſtantiis deterioribus affectus. Toleravit ab eô tempore, ultrà tres menſes, *continuam* evacuationem hæmorrhoidalem; à qua; inter reliqua ad deteriorem potius, quam meliorem ſtatum conſpirantia magis magisque delaſſatus, tandem, neſcio, quâ de cauſa aut culpâ, *repente* deficiente hoc fluxu, ſed manente, imò vero ingraveſcente in horas, graviſſimo *teneſmode* conatu, ad *ani procidentiam* trium circiter pollicum, & *tumorem* durum, duorum pollicum vel amplius, per totam circumferentiam, inteſtini recti, deducente, qui etiam *ſphincterem veſicæ* ita comprimebat, ut Urinæ exitum intercipiperet: variorum uſitatorum ſymptomatum, talibus pathematibus familiarium exacerbatione, *febribula, ſiccitate oris & ſiti, appetitus ſumma proſtratione, agrypnia, tuſſi ſicca, laſſitudine ſumma*, eò deductus eſt, ut etiam præſagio jam paſſim divulgato mortis candidatus declararetur. Cum ex humanitatis pótius, quam artis officio (*nec* enim, quod ſcitè eloquitur *Seneca, me delectat, alienum mortuum tollere*) ægrum, quem illis horis demùm decumbere compereram, viſitarem, juxta memoratas jam circumſtantiis abdomen in magnam molem inflatum atque tenſum, & ægrum moleſtiſſimè reſpirantem conſpiciens, ſimul audio; *dextrum* etiam *pedem* inſigni *tumore* affectum. Quem cum ſtatim etiam conſpiciendum dare properaret, aſſiſtens lecto Chirurgus, detracto tibiali pelliceo, monſtrat faſcia lata, inde ab ipſis pedis digitis, ſupra genu uſque deligatum, quâ exſolutâ, ut omnia linei texti filamenta, cuti impreſſa comparebant, ita ubi laxior fuerat ſtrictura exſcendens tumor conſpiciebatur.

batur. Quamvis animo propofuiffem nihil curæ medicæ interloqui, tamen confcientiâ ftimulante, continere me non poteram, quin chirurgum interrogarem, quo fine pes ita deligatus fervaretur? qui facilè rationem reddidit, quod hoc factum fit ad compefcendum *incrementum tumoris*. Ubi nefcio an planè immatura admonitione (certè affectu erga Virum pro meritis fuis mihi æftimatiffimum) id unum dixi: Bindet ihr ihme nur die Geschwulst in Leib hinein, so werdet ihr nicht viel Gutes richten; Quo monito confternati, fafciam depofuerunt. Cum etiam pes, remotâ fafciâ, unguinofum aliquid oleret, & interrogatus Chirurgus memoraret, inungi hucusque folitum effe pedem mixtura fpirituofa, cum balfamo peruviano conflata; &, ut folent fufpicaces, è vultu meo collegiffe putaret, quod unctionem talem non fatis probarem, omiffa etiam impofterum eft. Peculiari cafu evenit, ut fequente die patiens fibi atque mihi derelictus, neque vellet, neque bona confcientia poffet, à me quoque deferi; Eventus autem, adftante Divina gratia fuit, ut intra duos dies à lecto, & poft octo fortè fequentes à morbi præfentis infultu ita liberatus fuerit, ut munus fuum domi, & mox etiam foris obire poffet; Vixerit etiam pofteà largiente Deo ad anni feptuagefimi primi priores menfes; Affectu hoc, per longiora intervalla repullulante, cautius & confultius tractato.


§. XLVII.

Ita etiam matrona Illuftriff. triginta quinque annorum, corpore & animo exquifitè fenfilis, poft abortum, à gravi cafu in lumbos & ingente terrore mediô geftationis tempore toleratum, cum aliàs rhevmaticis mufsitationibus jam à tribus fortè annis exercita fuiffet, fimili tumore, utriusque quidem pedis, fed tamen unius præ altero, correpta, benedicente Altiſſimo ita ab hoc liberata, eft, ut

licet ille per tres hucusque annos impertus repullularet, magis magisque verum doloris intimioris sensum una exereret, tamen de tempore in tempus ab hoc etiam rursus liberata, & cætera satis commodè valens, novum puerperium vel experta sit proximis diebus, vel expertura, det DEUS ut feliciter.

Ita quidem suscepto nostro proposito satis perfunctos nos esse sperantes, gratias Divinæ bonitati humillimas persolventes, ut hic etiam noster labor publicis & privatis usibus aliquid emolumenti afferat, humillimâ mente Illam veneramur.

S. D. G.



MADRIGAL.

Weil die Gelehrsamkeit
Die Ehre hat zur Tochter
angenommen;
Und der sie allezeit
Zu seiner Braut bekommen/
Der mit der Mutter es gehalten:
So wird sie Dir anitzo anvertraut.
Weil nun Dein Fleiß sich hier belohnet
schaut/
So rufet UNGARN schon:
Komm/ mein Gelehrter Sohn!
Komm/ denn du sollst bey mir
In größern Glücke leben:
Ich will samt aller Ehre Dir
Noch eine schöne Tochter geben.

Dem Herrn DOCTORANDEN schrieb
dieses mit einem hertzlichen Glück-
Wunsch zu Seinem künfftigen Ver-
gnügen


Christian Friederich Hunold/
dictus MENANTES.

MADRIGALE.

NEl campo di Minerva
Palme raccogli omai, scettri, e corone;
Che giusto guiderdone
Il Ciel sempre riserva
A chi per l'altrui uita
Spende tanti sudor con alma ardita.
Hor se col graue incarco
Di tue fatighe pur giovane ancora
T'apri alla gloria il uarco,
Giust' è s'ogn'un t'onora
Mentre innesti trofei, fregi ed allori
Alla Patria, à Te stesso, ai Genitori.

Hà dedicato queste umuli espressioni del suo affetto in segno della diuota seruitù che professa al molto Illustre Signor Liebezeit

COSTANZO ANOME
Maestro della Lingua italiana nella Regia Uniuersità di Hala,
per auer avuto l'onore d'informarlo nella medema favella.



NOBILISSIMO

DOMINO CANDIDATO

PRÆSES

S. P. D.

NOtatû dignus est locus apud Senecam, ubi amico suo confitetur, quod, cum junioribus suis annis ad contemplationem solertiorem rerum humanarum, & undique devii & perversi cursus, animum intentius applicare cœpisset, præ fastidio pravitatis atque perditorum seculi morum, sæpius ipsum impetus ceperit abrumpendæ vitæ, & tanquam brevi via ex hoc labyrintho erumpendi: nisi Parentis imprimis amori hoc dedisset, ut patientius hæc fastidia atque odia perferendo, denique ad toleran- tiam & tranquillitatem, animum, velut assuescendo, perduxisset. Certè, quod hic adhuc juvenis, circà totius vitæ fastidia expertus est, illud augescente ætate circa unam humanæ vitæ necessitatem, ita animum meum sæpiùs tentavit & quassavit, ut dùm artis medicæ fata atque perplexas turbas mente perpenderem, pigere subindè me ceperit, quod huic studio animum non solùm adjecissem, sed prorsus illi operam & industriam addixissem. Sicut enim in antiquiore schola Medica, non poteram non ægrè ferre, repentinam illam, post Hippocratis & Galeni solertiam, desidiam, totius propemodùm posteritatis, in poliendis, excolendis, & ad plenum fructum maturandis, antecessorum horum observationibus & commemorationibus; Cujus necessarii partim, partim utilissimi, instituti loco, sufficere videbatur, in illis, quæ à dictis istis artis conditoribus, semel prodita atque posita fuerant, ita acquiescere, ut non solùm unguem latum ab iis recedere, tanquam superstitiosæ religioni duceretur, sed etiam supplere & adjicere, quod passim fieri necesse esset, nemo satis auderet; ita recentioribus ævis, irrumpente Paracelso, & seditionem illam denuò concitante Helmontio, salutarem, si rectè usurpata esset, libertatem, de plenitudine doctrinæ Medicæ, ab antiquitate ad nostra tempora devolutæ, disquirendi, in illas turbas & licentiam prolapsam esse, ut innumeris, non diversis solùm, sed passim con-

)(tra;

trariis, imò à se ipsis dissidentibus, opinionibus & commentis squalerent, non poterat non mentem, unius veritatis cupidam profundâ ægritudine afficere. Quid enim notius est, & jam ne ipsi quidem vulgo hominum amplius occultandum, quam quod tam antiquæ veritates per imperitiam Clinicam in summam perturbationem deductæ sint: Dum historia morborum, è mutilis atque turbidis observatiunculis hominum, vel paucâ atque rarâ praxi potitorum: vel inter numerosam praxin animum ad quidvis potius, quam ad solertem animadversionem veræ morborum constitutionis adjicientium, sed potius Empiriæ nudæ insistentium: in eum locum deducta sit, ut nihil jam propemodùm de antiqua atque solidâ morborum descriptione placeat aut probetur; sed vel omnia nova videantur, vel ea solùm decerpantur, quæ phantasiis quibusdam ætiologicis quadrare videantur, suppressis interim & silentio prætermissis, quæ cum his conciliari minimè valerent. Alterum est, post imperitiam, scandalum, inscitia, contemplationes & deductiones ætiologicas, secundùm simplicem verum ordinem causarum instruendi, & instituendi; Quod ita hodie insanabile deprehenditur, ut confusa illa, summa imis miscendi protervia, non possit usquam in viam & meliorem frugem reduci. Cui malo, cum accedat, utique novum, scribendi cacoëthes; ut pauci propemodùm promtiores sint, certè verò nemo impudentior, ad res suas, imò ægræ mentis somnia, publicæ luci exponenda, quam qui modo dictis duobus ficulneis fulcris palam nituntur; Imperitiâ, inquam, veræ indolis & historiæ morborum, & crassa inscitia, respectuum atque nexuum causalium. Fieri itaque aliter non poterat, nisi ut omnia, vel indies magis magisque turbarentur, vel semel arrepta perplexa sententia, mordicus retineretur, & semper eadem crambe recoqueretur. Ubi frustrà planè est, res illas, in meridianâ luce positas, turbidis talibus ingeniis atque moribus, occinere aut ostendere; Infrequentiam morborum generalem; Frequentiam autem morborum specialem, secundùm temperamenta & ætates; Conspirationem sub eôdem genere, morborum succedentium, cum prægressis: & variationem horum specialem, secundum loca tantùm, non verò secundùm totam materiam, aut subalternam formam: Efficaciam, genericè simpliciorem utut specificè πολύμορφον, constitutionis Plethoricæ, (quam Veteres primo loco inter causas morborum

pru-

prudentissimè collocaverunt, tales autem novatores, propemodùm æterno silentio damnârunt,) Cacochymiæ verioris, minimè perplexum aut obscurum, ortum ab ipsâ plenitudine; Larvas atque metaschematismos, simplicioribus morbis, per portentosas medicationes, parium opinionum fructum, demùm introductas, adeoque Corruptos morbos; Ingentia illa, publicè obvia, certè totis millenariis numeranda, exempla, imò paradigmata & specimina, variæ speciei morborum, sine externo artificio aut adminiculo, sponte Naturæ humanæ, in dies feliciter superatorum; Convenientiæ successûs, decursûs, exitus salutaris, morborum, etiam sub variis (modo non prorsus heteroclitis) artificiis, cum illis spontaneæ sanationis methodis; aut contrà, ab incommodioribus artificiis, resultantes tales morborum immutationes, è sinceriore suo schemate, In alia, quales in pari genere morborum, ubi similia artificia, imò maleficia, non intercesserunt, morbis illis non solùm insolita, sed penitus incogniti sunt; Præsentissimam æque, atque potentissimam, & proinde utroque modo etiam frequentissimam, efficaciam, Animi pathematum, (etiam à nuda falsa æstimatione atque confusâ ratiocinatione pendentium;) in corporis, etiam cæteroquin exquisitè sani, non solum reliquos vitales motus, sed in ipsam usque formationem primigeniam humani corporis; Discretionem inter veras causas, & effectus seu producta, morborum; imprimis minùs manifestò, præsertim ad ita crassum sensum, sese exerentium; Discretionem æquivocæ & incertæ, & contrà univocæ, certæ, constantis, evidentis, operationis atque efficaciæ remediorum, & illinc pendentium etiam æquivocarum curationum: (dum unum idemque morbi genus, non solùm sine talibus, sed vel planè contrariis, modò nihil novæ turbæ objicientibus, artificiis, passim sanatur, imò nihilo incommodius aut deterius, numerosis exemplis, etiam sine omni externo artificio) Et plura, quæ tamen ad hæc fundamenta propriè collineant. Frustrà, inquam, sit hæc talibus præmonstrare, qui fundamentali illo, tantopere ab Hippocrate in Medicinæ sectatore commendato atque præsupposito, fulcimento, τῆς φύσεως, indolis ingeniosæ & sagacis, destituti, sub reliqua morum feritate, etiam humanæ rationis præsentiam, solâ corporis humani larvâ demonstrare possunt. Unde, postquam Motuum in vivo, quin ipso humano, corpore, uno, malè intellecto & applicito, vocabulo, hinc indè obiter mentionem faciunt, toto reliquo nugarum suarum contextu, nihil nisi tales, & tam fatuas, materias decantant, ut cum ante dictis illis manifestis, morborum æque, ac totius sanitatis atque vitæ humanæ, conditionibus atque casibus, non plus, quam Carduus cum circulo, quadrent. Faciunt certè, ut inde ab initio dixi, hæc talia artis Medicæ fata atque scandala, ut cum aliis multis honestis & cordatis Viris, etiam me subinde artis ita prostitutæ, pœniteat, pigeat, imo pudeat, & sæpè cogitatio animum subeat, annon honestius, certè tranquillius & commodius, rebus ita constitutis penitus obnunciare, & quamlibet potius aliam honestem vivendi rationem inire, futurum esset. Sed cum ubilibet propemodùm multa zizania bonas fruges obsideat, & jam prudenter monente S. Apostolo, è mundo ipso emigrandum foret, si passim præcellentibus abusibus atque pravitatibus elabi, obstinatum esset propositum; ferenda utique sunt, quæ mutari non possunt, & sapientissimæ voluntati atque ordinationi Divinæ commendandum, quando illa, vitia hæc, salubri sementi ab hoste inserspersa, eradicare consultum duxerit. Levat interim

rim

rim tædium, & exile jubar melioris ſpei tanquam per nebulam oſtendit, quod minimè deſint tales adhuc Viri, qui ſcientiæ atque conſcientiæ compotes, uti labes has privatim affatim agnoſcunt, iisque ſuo loco, in exoptatos uſus proximi, conſulere cordi habent, ita etiam magis magisque eo conniſuri ſint, ut publicè quoque veritatis puræ atque caſtæ ſplendor eniteſcat, & ſpreta zizania, bonæ frugis ſeges, ad lætiorem meſſem matureſcat. Præbuiſti mihi, NOBILISSIMÆ CANDIDATE, occaſionem, de his rebus diſſerendi; ſiquidem, Tu, Tuique ſimiles plures, dum bona indole, ſolerti ac ſagaci ingenio, induſtria atque aſſiduitate indefeſſa, artis Medicæ ſanæ atque luculentæ doctrinæ, ita incubuiſti, ut planam veritatis ſemitam præ ſalebroſis & anfractuoſis, deviis & præruptis, prudenter diſtinguere didiceritis, illam cordatè proſequi curæ cordique habetis. Nempè memores, hujus autorem Deum eſſe: Fontem luminis, quod rectâ imprimis viâ fulgorem ſuum maſculè diffundit; Hoſtem autem Patrem eſſe falſitatis, obliquitatis, tricarum & turbarum, in tenebras atque præcipitia ducentium; Memores, quod non de nugis, & verborum cavillis, ſed de vita atque ſanitate humana, ſollicita debeat eſſe ſcientia Medica atque conſcientia. Quæ proindè benedictionem Divinam, rectâ atque planâ via, ſectari debeat; Dum hoſtilibus fallaciis infeliciter confiſi, nihil niſi confuſionem, & animum graviter torquentem perverſum moliminum ſuorum, ſucceſſum & eventum reportant. Inſiſte porrò, ut hactenus laudabiliter feciſti, huic viæ, & præopta invidendos ſucceſſus, quam ſibi ipſi miſeros invidiæ exceſſus; Fac diligenter opus fer patienter onus Transfer idem ſtudium, quod doctrinæ Medicæ, bene firmæ & coagmentatæ,adhibuiſti, ad uſum ejus atque exercitium practicum. Utere prudentia, circumſpectione, cautione: obſerva, non limis & cœcutientibus, nedum torvis oculis, ſed ſincero & cordato conſpectu, quid rerum geratur, ſub turbidis illis opinionum, ut pelagi fluctus non tam cohærentium, quam ſe mutuò trudentium atque ſubmergentium & omnia ſusque deque rapientium ac turbantium, voraginibus; Inſpice hæc, imò deſpice, è continenti, firmo, ſicco atque ſolido, littore; Miſerere naufragorum, ſubveni conſilio & auxilio; Proſpice interim Tibi quoque, ne te furentes aquæ, inſana ſua ebullitione. limo atque ſpurco ſale aſpergant; aut excute ſanè ſine indignatione, & ad placidam auram, atque ſolem, ſub benigno cœlo, deſicca. Benedic Altisſimo, qui ubi firmiter conſiſtere posſit pes tuus, ſapientia ſuâ atque veritate oſtendit; Ita ſemper posſidebis animam tuam in patientia, tranquillitate, & læta αὐταρκείᾳ: Habebis, quod agas, & quod recte agas; inſervies proximo, & eris commendatus amori ejus, & benignis votis; Erit Tibi ars Medica, & tu eris arti, decori; Procul luxu, procul ſegni otio, procul inani atque perdito negotio, benedicente, & perpetuo asſiſtente, exoratâ, Divina gratia, quoad vivis gaudebis.

Certus & ſecurus ominor & amica mente apprecor. Vale.

Dab. è Muſæo 8. Martii,

MDCCXIII.



22.

EPISTOLA GRATULATORIA
QUA
PODAGRAM SINE SALE
EXPLICAT AC DEFENDIT
ET
VIRO JUVENI
NOBILISSIMO POLITISSIMO ET SOLIDA ERUDITIONE ORNATISSIMO
DN. GEORG. SIGISMUNDO LIEBEZEIT,
MEDICINÆ CANDIDATO DIGNISSIMO
FAUTORI ET AMICO SUO SVAVISSIMO
OB
FELICEM ET HONORIFICUM CURSUS ACADEMICI FINEM
DUM
SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES ET LAUREAM DOCTORALEM OPTIME PROMERITAM
PRÆMISSA SOLEMNI ATQVE ERUDITA DISSERTATIONE
DE
TUMORE OEDEMATOSO-PODAGRICO,
CUM APPLAUSU PUBLICO EXCIPIT,
AMICE ET SINCERE FELICIA OPTAT



D. MICHAEL ALBERTI,
PROF. PUBL. EXTRAORD. ET REIPUBL. NORIB.
PHYS. ORD.

NOBILISSIMO POLITISSIMO ET ERUDITISSIMO

DOMINO CANDIDATO

Συφημίαν

D. MICHAEL ALBERTI.


Xoptata ſe ſe offert occaſio, qua verum & ſincerum Elogium publico quodam ſcripto *Politiſſimi Domini Candidati* exponere ac profiteri, & cum epiſtola quadam gratulatoria maximè laudabilibus Tuis ſtudiis & conatibus applaudere poſſum. Diſſertationem quandam egregiam, negotium Podagræ quadantenus concernentem, ut ſpecimen ſolidæ Tuæ eruditionis pro acquirendis Dignitatibus Doctoralibus, publici Juris facis. Sed cum notitia Podagræ tam Theoretica, quam Practica adhuc paſſim multam crucem figere ſoleat, placuit propterea præſenti labore Lemma quoddam de *Podagra ſine Tartaro* ſive *ſine ſale* reſolvere, & de eodem Tecum amice diſſerere. Podagra quidem & ominoſum & odioſum nomen exiſtit, partim quia facile in alios ſuſpectos effectus & eventus transfigurari ſolet, dum vel retropellitur, vel in affectus Paralytodeos, aſciticos, hecticos, ſcirrhoſos, œdematoſos aut in ariduras, contracturas, & ſtupores modo conjicitur, alibi prolabitur, partim quia tale malum exſtitit, de quo & veteres & recentiores Medici, ex uberrima experientia conteſtantur, quod ſcandaloſum, refractarium & vix coërcibile ſit, de quo etiam Podagricus ille Crucifer *Sydenhamius* implicite profitetur, quod, qui jam diu cum malo hoc afflictus fuit, obſervationes ſuas de hoc morbo ejusque cura parum deſideriis & votis vulgaribus accommodare queat. Neque tale quidem ſolum malum exiſtit, hæc Podagra, ex ſua nuda & ſimplici indole, ſed adhuc majus malum evadit, ſi in ſua forma atque genio non exacte atque vere agnoſcitur, hinc tot Podagræ cauſales explicationes, vix in ſolatium miſerorum ægrotantium cedunt, quot

humores corrupti & atrabilarii secundum veteres, quot flatulentiæ, & nescias quales maligni vapores à Fieno, quot fermentationes à Willisianis, quot Nervorum debilitationes, & quot tandem salia a posteris multis operose & anxie effinguntur & supponuntur. Ex singulis vero ejusmodi persuasionibus & opinionibus, nulla mihi incertior, & magis ridicula videtur, quam illa Podagræ Pathologia quæ cum sale nescias quo Pontico & austero macerata, & cum Tartaro aspersa est, utinam modo Nitrum fuisset, quod ad communem consensum ab omni labe & præcipue putredine, præservare debet, ne indies Pathologia illa salsa in putrilaginem rueret. Hæc uti in omnibus morborum deductionibus sontico quodam vitio laborat, ita tanto magis in Podagræ explicatione, quamvis affatim salsa, tamen semper falsa deprehenditur: unde placuit purgamentum quoddam præsenti conamine conficere, quo tandem ex austera illa ætiologia salia, & præcipue quidem famosus ille Tartarus, educantur, ne hæc ultro animum humanum vellicent, & in judicii spasmos & spirituum tormenta excitanda cedant: Hinc nihil aliud apponam & proponam, quam Podagram sine sale & Pipere, sine Tartaro quovis i. e. quod Podagra a nulla salina Tartarea, materiali causa effective rodente, pungente, stimulante, pruriente, vellicante dependeat, quam rem primo per instantias ex historia facti proprie fluentes commonstrabo, deinde ad objectiones vulgares, & hujus salsæ hypotheseos defensiones, brevissimis respondebo. Quod itaque Podagra a nullo sale dependeat, confirmat 1.) quod hic affectus non indifferenter quaslibet ætates corripiat, sed quod sit morbus certæ ætati proprius, siquidem familiarius post quadragesimum ætatis annum, consistentis nimirum ætatis periodo, subjecta occupare solet, quamvis rarius juniores homines invadat. Ex qua circumstantia quærere licet, quî hoc suppositum sal, hac demum ætate rodat, pungat, aut generetur atque proveniat? facile quidem excipi posset, quod otia dent vitia, & quod hac ætate subjecta talia ob otia & luxuriem salia hæc coacervent, & retineant! sed æque facilis est exceptio, quod partim subjecta extra otiosum vitæ genus, hoc malum experiantur, & quod alia subjecta in simili otio-

sa

ſa vita verſantia Podagram non ſubeant, quamvis æquali diæta & aere, aliisq; extraneis cauſis fruantur, & quod propterea non nudum otium ad hunc affectum diſponat. 2.) quî fiat ut hæc ſalia hac ætate pedes ſeu partes inferiores, & non indiſcretim univerſum Corpus offendant? cum vix ex cauſis phyſicis demonſtrari poſſit talis deſcenſus Tartari hac ætate in hæc loca contingens; excipi quidem poſſet, quod hac ætate hi aculei fiant graviores, adeoque tendant deorſum, ſed olet hæc exceptio petitionem principii, æque ac ſi dixerim, quod hac ætate ſalia in majori copia colligantur, ut propterea inferiora petant, quæ facilis quidem eſt ſuppoſitio, difficilis vero demonſtratio ſeu probatio; ſi quisquam ultro inſiſtere velit, quod hac ætate ſalia copioſius generentur, quæritur etiam ultro 3.) partim quî fiat, ut, dum inter annum ætatis quadrageſimum & trigeſimum quintum exiguum diſcrimen, tam quoad robur Corporis, quam quoad vires & vigorem animi intercedat, hoc ſal non hac ætatis periodo, ſed illa demum generetur? ubi iterum maximopere claudicat illa exceptio, quaſi in illo ætatis termino fibræ motrices laxiores fiant, ubi merito nexum deſiderare debeo, inter laxitatem fibrarum, & geneſin ſalium, dum ſalia minime ſub infarctu & oppletione ſpatiorum majorum, ſed ſub majori attritione, attenuatione & ſubtiliſatione, per concurſum validorum & frequentiorum motuum demum generentur, quod Chymicis accuratioribus innoteſcit; unde hæc excuſatio contra ſenſum & experientiam rationis & generationis ſalium eſt; quo accedit, quod falſa & ab omni Phyſico Chymico-Mechanica, tanto magis organica corporis vivi ratione aliena ſit ſuppoſitio, quaſi hac ætate, nimirum quadrageſimo vitæ anno & poſt illum proxime concoctio ſit debilior, unde ſalia per potulenta & alimenta, quin ipſum aerem accedentia & accerſita, non ita extenuari & ſubtiliſari poſſe, ſed denſiora & craſſiora obſidere corpus, & poris inhæreſcere; aſt citra illud, quod nuda hæc ſit ſuppoſitio omni ratione vacua, (dum quæſtio moveri poſſet, cur hoc non fiat trigeſimo quinto, ſexto, ſeptimo ætatis anno) ultro quæri debet, quî hoc non ita frequenter contingat, cur non in fœmellis? cur non in aliis ſubjectis? cur non in omnibus, quæ in hac ætate conſtituta ſunt? cur non in puerulis,

rulis, quorum textura est laxior, & qui tam acida quam amara, pontica & austera, acria & dulcia &c. affatim ingurgitant? cur non in femellis quibusvis, quæ vulgo quidem laxioris texturæ & otiosioris vitæ generis esse dicuntur? cur non in subjectis Cacochymicis, & Cachecticis hæc contingunt, sed in subjectis de reliquo optime sanis? &c. &c. 4.) qui hic affectus certis temperamentis familiaris sit, & non indifferenter omnibus? qui hæc salia, hic Tartarus horridus, solum in Sanguineo-Melancholicis, Sanguineo-Cholericis, Phlegmatico-Cholericis generentur, an non simili ratione in aliis subjectis generari queant, ubi odiosum sane est, tantum exaudire debere, illas steriles traditiones & Theses, omni ratione destitutas, quasi hoc in tali & non alio temperamento fiat, ob rigiditatem & laxitatem temperatam fibrarum, & talem convenientem proportionem fluidi ad solidum, humidi ad tubulos, & quæ sunt aliæ hujus furfuris nugæ, quas singulas recensere piget, & fœtet, utpote quales plures steriles excusationes in hac falsa pathologia luxuriose occurrunt, quæ vero quia nimis acres & salitæ sunt, appetitum destruunt & nauseam conciliant, manet interea irresolubile problema, qui in hisce temperamentorum mixturis salia hæc Tartarea generentur? nisi quisquam impuras, & crassas petitiones principii exspectare & exaudire gestiat 5.) quæritur ultro, qui hac prædicta ætate, sal hoc præsuppositum has crassas musculosas pedum partes vexare & offendere debeat, & non alias subtiles, nervosas, membranaceas, tendinosas, ligamentosas, vel in aliis regionibus Corporis constitutas, vel in pedibus obvias partes. Vulgo quidem dicitur, quod hæc barbarica & Tartarea salia operentur in nervos, sed effectus maximus deprehenditur in partibus musculosis, quæ sub paroxysmo, ita dici solito, hujus mali obrigescunt. in quibus etiam maximus dolor & Cruciatus percipi solet, cum alioquin probe peritis innotescat, cujus indolis sit dolor in nervis, tendinibus & ligamentis; quin admirandum est, cur hoc sal stimulans non cum longe vehementiori gradu periostia offendat, & longe alia dolorum specimina inferat, & concitet, 6.) Contrariatur etiam huic Pathologiæ falsæ, sensus in Podagra obvius, qui non est rodens, pungens, acris, stimulans sed tensorius, tractorius,

vibra-

vibrativus, palpitatorius, uno verbo spasticus, quales sensationes a salibus pungentibus non proveniunt, quo loco facilis est illa explicatio exaudienda, quasi hæc salia offendant fibrillas, quæ deinde tali ordine & ratione contrahuntur, sed facilis etiam est demonstratio, quod tales contractiones & obrigescentiæ sine omni salino concursu occurrere soleant, unde non necesse est, tanquam ex quadam prærogativa in Podagra salinum illum stimulum accusare 7.) huc pertinet illa connexio, ex hac falsa Pathologia postulanda, quî fiat, ut hæc salia generentur in hisce subjectis, quæ ante hac spontaneis sanguinis evacuationibus adsuefacta sunt, quid hæmorrhagiarum cessatio ad genesin salium contribuat, cum longe simplicior sit conceptus, quod eadem ad abundantiam sanguinis faciat, cum etiam experientia teste multi ex hæmorrhagiarum cessatione plethorici quidem deprehendantur, sed non æque facile scorbutici, aut Podagrici, cujus rei magnum documentum sistunt, homines plebeji, seu opificiarii, & rustici, qui quamdiu in agili vitæ genere versantur, vix frequentes hæmorrhagias experiuntur, & nullam salium genesin subeunt, ubi sane iterum miseranda & dolenda est illa excusatio & defensio, quasi ejusmodi homines, masculi imprimis per labores salia hæc iterum e Sanguine & toto Corpore removeant, & eliciant, quæ tamen antea in suo Corpore sine omni dubio gestarunt, & quæ sub præsentia sua tales effectus necessario exserere debuerunt. 8.) magnum vero offendiculum præbet, illa circumstantia, quod Podagra detur hæreditaria, quod propagetur in infantes; ubi conceptu, nedum demonstratu difficile est, quî salia talia propagentur, aut qui corpus ita exstrui debeat, ut tam cito Tartarei illi aculei & hastæ generentur, vix prudens quidam acquiescet, in nuda thetica suppositione, quia Podagra ex ejusmodi stimulis salinis concitatur, ita hanc etiam circumstantiam fieri peculiari quodam modo; quasi hoc fermentum acidum podagricum cum spiritu genitali communicetur; quæ nimis rudis est Philosophia, quando tam crasse modus fiendi occultatur, & loco excusationis sterilis illa exclamatio proponitur, rem esse veram, modum fiendi esse occultum, quamvis quidem non abnegem, quod dentur varii modi, qui in sensus & men-

mentem noſtram non cadunt, illum vero fiendi modum, in hanc claſſem non pertinere, iterum firmiter ſcio 9.) Non minus illud phænomenon admodum præjudicioſum eſt, quod Podagrici inſultus quando ſemel defervuerunt per animi pathemata tanto magis non exſatiata, & citiſſime & efficaciſſime denuo revocari poſſint, ubi iterum urgenda erit neceſſaria illa connexio, inter animi motus & ſal pungens, quî fiat cum nunc ſalia illa ſuſpecta obtuſa reddita ſint, aut diſperſa & imminuta, quando Podagricus Paroxyſmus remittit, ut ſub illis patheticis commotionibus ſalia ſtatim & nova in promptu ſint, & confeſtim in pedes delabantur, & illico extemporaneo modo pungere iterato inchoent? quî fiat ut hæc ſalia iterum advolent & vellicent pedes, quando præprimis pathetici illi motus non exſatiantur? ſunt hæc talia problemata, quæ difficillime ex principiis ſalſæ Pathologiæ reſolvi poſſunt, niſi ridiculas & crinibus, ut ajunt, protractas explicationes patienter exaudire velimus, quæ vero cum ſale ſapientiæ deſtitutæ ſint, non ſatisfaciunt rationabilibus deſideriis 10.) accedit & illa circumſtantia quod varie, & ſæpe ſtatariam & periodicam podagræ reverſionem obſervemus, ubi attentioni commendo illam quæſtionem, quî contingat, ut hæc ſalia juſtis temporibus puncturas & ſtimulationes ſuas exerceant, ad quod commonſtrandum in corpore humano neque mechanica, neque mathematica, neque phyſica, neque hydraulica, & hydroſtatica neque Chymica dogmata ſatisfacere poſſunt, quamvis quidem petulans animus horoſcopa vaſa in Copore humano effingere quidem facile, ſed difficile demonſtrare queat, quo pertinet 11.) Quod podagra citra ullam neceſſitatem ad cauſam materialem conſuetudinalis facile evadat, ut adhibitis variis & vulgaribus acidum Tartareum deſtruentibus remediis, nihilominus hoc malum vel cedat, vel remittat, ſed conſueto tenore recurrat, ubi iterum nexus deficit, inter conſuetudinem & Tartarum ſive ſal perpetuo pedes pungens, atque crucians 12.) Cum venus ſecundum vulgare quoddam dicterium ad podagram diſponere debeat, arduum eſt ex hac cauſa geneſin ſalis arceſſere poſſe, niſi una diæta luxurioſa accuſari debeat, quo loco iterum illa difficultas remanet, quod talis luxuries

xuries

xuries etiam omni abusu salitorum vacua, tamen podagram invitet, aut cum abusu sapidorum stipata, minime indiscretim podagram provocet, quod tamen fieri debebat, si hæc salia sui juris essent, & hoc negotium nude physice contingeret, prout falsa Pathologia requirit; 13.) Impossibile etiam est ex hac falsa Pathologia demonstrare posse, ad Hippocratis observationem, & commendationem, quî Venæ Iliacæ & Crurales in affectibus Ischiaticis, femoralibus, hæmorrhoidalibus, Podagricis, Varicosis, Coxendicum doloribus, imo ipso fluxu hæmorrhoidali, quid quod, quî hi affectus, inter se invicem conspirent: arduum erit hanc genesin salium in negotio hæmorrhoidali commonstrare, & diversum decubitum eorundem, ad diversas has regiones confirmare, & rationabiliter explicare posse, quî sub moliminibus & motibus hisce spasticis, qui ad nullum alium, quam hæmorrhoidalem fluxum collineant, salia etiam in ullam æstimationem venire queant? quî cum tempore ex regionibus superioribus ad inferiores salia hæc delabantur? quem nexum ad venas prædictas habeant? cum longe simplicior atque verior connexio inveniri possit, in motu sanguinis progressivo, in venis hisce, consentiente. 14.) Huc accensenda est, illa analoga historico-Practica observatio, quod Podagra & affine malum Ischiaticum per tempestivum fluxum hæmorrhoidalem aut tollatur, aut eximie emendetur, ubi omnis fiducia in hæc salia collocata, penitus cadit: quî enim poterit hæmorrhoidalis fluxus salia hæc è pedibus educere, si hæc antea fibrillis inhærescerent? quantum hujus salis rodentis per fluxum hæmorrhoidalem evacuari queat, ut, in comparatione ad reliquam Sanguinis quantitatem, residuus Tartarus, non tantæ potestatis existat, quo ultro pedes vexare queat? & quî tandem eveniat, ut, quando Podagra jam habitualis reddita est, hæmorrhoidalis fluxus affectum hunc non tollat? & per consequens Tartarum non educat? forte sub tali statu hi aculei nimis profunde & firmiter fibrillis sunt innexi? sed cur non postea Podagra indesinenter affligit, quia ex hypothesi perpetua esset Tartari præsentia in pedibus? 15.) Cum hac consideratione conspirat & hæc, quod Podagram multum levet, mitiget, & a frequentiori recursu præoccupet, justa, & quidem magis præservatoria Venæ Sectio, ast cur non Curato-

 ria?

ria? per quam forte similiter salia educerentur; cur indiscretim administrata Venæ Sectio hunc affectum exasperet? quamvis ad hypothesin Tartarum una eliminaret: quantum conferre posset Venæ Sectio, qua aliquot Sanguinis unciæ subtraherentur, adeoque paucum de illo sale inimico una eliminaretur, ni intra breve tempus illud sal regeneretur, & pristinam tragœdium denuo luderet, quod vi Pathologiæ falsæ evenire deberet, quamvis non soleat, ut ita cum experientia destruatur tota hæc excusatio 16.) Quin multam & neutiquam superficiariam attentionem meretur illa circumstantia, cur hæmorrhoides suppressas, aut male & difficulter perrumpentes Podagra insequi soleat? quis hic subest consensus salium Tartareorum cum locis hæmorrhoidalibus? cur hæc salia tunc demum generantur, in hisce subjectis, quando hæmorrhoides hisce difficultatibus laborant? cur non in aliis subjectis hæc genesis salium occurrit, quæ nulla plane molimina hæmorrhoidalia experiuntur? quid plenitudo sanguinis contribuat ad genesin salium, & quidem nunc pedes infestantium? cur ex hæmorrhoidum impedimentis salia in pedibus generentur aut eo delabantur? cur hæc non quaquaversum & in universo Corpore dispergantur? 17.) Animadversione etiam indiget, veterum Medicorum observatio, quod Podagra Evnuchos non invaserit, qui tamen in lauta, delicata & luxuriosa diæta vixerunt, ubi merito interrogandum, quî illis temporibus (scio enim quod universalitati hujus observationis, posteri obloquantur) in Evnuchis, sub tam apta diæta & vitæ ratione salia hæc non genita fuerint? quid venus contribuat ad Tartari genesin? sicuti Hippocrates eloquitur, quod pueri, qui venerem nondum experti, podagram non experiantur, & cur adultiores in hoc actu luxuriosi, frequentius podagram subeant? quæritur, quæ hic possit inveniri connexio, cum salium proventu, sepositis vero omnibus petitionibus principii. In hujus phænomeni explicatione non penitus contemnendus est tam *Hippocrates*, quam *Galenus*, qui passim culpam conjiciunt, in plenitudinem & abundantiam humorum, quamvis alias adhuc rationes intermisceant, & cum hisce utiles cogitationes confundant, in quo tamen veterum simplicitati aliquid condonandum est, qui tamen multam laudem promeruerunt, in

stu-

ſtudio illo, in quo hiſtoriam morborum non parum exacte annotarunt. 18.) Meretur ultro aliquam penſitationem conſpiratio calculi cum podagra, quam non modo veteres, ſed & recentiores abunde obſervarunt: quæſtio hic moveri poſſet, an hic conſenſus ex Pathologia Tartarea demonſtrari queat? quî hic aſcenſus & deſcenſus in hæc diſtincta loca, explicari & confirmari poſſet? quo ordine fluxus hæmorrhoidalis, Nephritis calculoſa, Podagra, & Genealogia Tartari connecti queant? Quisnam occurrat aditus & reditus ſalis e renibus in pedes,& vice verſa? quî utplurimum uno eodemque tempore ſalia hæc tam renes quam pedes ſtimulare ſoleant? an forte ſalia hæc habebunt harmoniam per intercurrentes ſpiritus? parturiunt montes &c.? cur alius eſt effectus hujus ſalis in renibus per ulcerationem manifeſtus,& in pedibus per nudam roſionem ſuppoſitus? quî hæc ſalia hac ætate, nimirum completa virili, qua hæmorrhoides externæ & varices evenire deberent, hunc conſenſum & inveniant, & ſervent, ut renes & pedes attingant? cur non maturius pedes aut renes, cur non ſerius? quam hiſtoricam circumſtantiam iterum minime Chymica illa Pathologia explanabit. 19.) Non penitus etiam negligenda eſt illa obſervatio, ex hiſtoria Podagræ deprompta, quod femellæ rarius Podagram experiantur aut præ viris infrequentius ſubeant; & quamvis quidem veterum obſervationi in noſtris Climatibus penitus ſubſcribere non audeam, quaſi ad *Hippocratis aphoriſm 29.ſect.6.* mulieres non Podagra laborent, ſi non menſes ipſi defecerint, attamen hæc obſervatio,non abſolute poſtponenda eſt, dum variæ femellæ podagram non maturius ſuſcipiant, niſi poſt menſium ceſſationem, cujus rei notatu dignum documentum allegare poſſum; novi viduam adhuc vivam, quæ octogeſimum ætatis annum attigit, hæc eſt Sanguineo Melancholica, plurimorum liberorum mater, quæ ad ſeptuageſimum octavum ætatis ſuæ annum Venæ Sectionem cum euphoria admiſit, quia ſemper Plethorica extitit,quamprimum vero ob famoſam illã, & vulgo creditã ſpirituum vitalium conſervationem,huic Sanguinis ventilationi valedixit,perfectam podagram incidit, qua adhuc laborat, quamvis per totam vitam nullum eminentem aut Chronicum ſpaſticum affectum experta fuerit! hinc quæro? unde ſub hiſce circumſtantiis ventriculus ita confeſtim alteratus

eſt, ut ſalia talia famoſa gignat, licet vidua hæc in accuratiſſima diæta verſetur, & plurimum ſalis & ſapidorum uſum evitet? qui eveniat, ut aliæ femellæ poſt menſium ceſſationem hunc affectum experiantur: qui vero infrequentius eundem ſubeant ac maſculi, dum tamen creduntur eſſe torpidioris naturæ, dum in otioſo vitæ genere degunt, dum ſimiliter tales femellæ vino & diæta ſapida & luxurioſa fruuntur: quamnam habebunt prærogativam præ viris, ut in illis ſalia hæc acida, volatilia, Tartarea, non tam frequenter generentur; quamvis omnes occaſiones in illis ad citiorem ſalium horum geneſin concurrant, quænam hic miſeranda Corporis diſpoſitio & variatio effingi & excogitari poteſt, ne tota excuſatio & explicatio ſordeat? plures poſſem in hac circumſtantia ſuppeditare inſtantias, ni brevitas ſpatii præfixi, me ad alias conſiderationes admoneat; 20.) miraculoſus præterea eſt, ille millies millenis exemplis comprobatus caſus, quod dentur homines, qui in maxime ſalina diæta conſtituti ſunt, ubi non modo aqua ſalibus acidis eſt inquinata, ſed tota conſuetudo ad ſalia propendet, qui tamen per totam vitam nullam Podagram perſentiſcunt: lepida illa eſt, quæ occurrit exceptio, & reſponſio, nimirum Corpora ſunt diverſa, fibrillæ vel nervi ſunt rigidiores, vel laxiores, aſt qui exinde demonſtrari poteſt, quod ſalia non ſimili facilitate, in iiſdem generentur; non ſufficit ſolum fallaciam non cauſæ ut cauſæ proponere, aut cauſam quandam ex aere captare & obtrudere, ſed da demonſtrandi: unde quia demonſtrationes rationabiles, & juſte cohærentes in ejuſmodi theoria admodum tardæ, cauſarum vero inventiones præcipites ſunt, latet me hercle error in receſſu, de qua re multa dici poſſent, ſi tempus permitteret. Cur opificiarii & ruſtici, qui ſal cum pane, caſeum ſapidum, butyrum largiter ſalitum, carnem cum ſale & fumo abunde impregnatam comedunt, non experiuntur podagram? rigoroſum hic audio reſponſum: hi elaborant iterum ſal. Sie arbeiten das Saltz wieder heraus, crediderim vero, quod multum ſalis per laborem ex ſanguine regeneretur, & per diætam reparetur, ut tantum ſalis ſemper maneat in Corpore, quantum ad Podagram ſufficit excitandam: ſed piget atque pudet pluribus ad ridicula talia regerere. 21.) Cum hac circumſtantia, convenit & proxima alia, quod homines verè ſcorbutici, non vero vulgo tales

cre-

crediti, aut ad communem ſenſum dicti, non tam frequenter Podagrici deprehendantur, quales ad hypotheſin falſam neceſſario eſſe debeant, hi turgent ſale tali acri, & quidem fixo, tam ſanguini, quam fibris firmius inhærente, & tamen ita frequenter Podagra non laborant, ſed longe alias paſſiones experiuntur: Scio equidem quod Fautores Pathologiæ falſæ afferant, ſcorbuticos frequenter Podagra corripi, ſed eſt magis cerebrina hæc ſpeculatio, & ſuppoſitio huic Pathologiæ accommodata, quam per ipſam hiſtoriam facti obfirmata, facilius enim quicquam fingitur, non facile vero demonſtratur, 22.) Dantur etiam Podagrici, qui, quamvis ſelecta & accurata diæta fruantur, abſtinentes à ſuſpecto uſu ſapidorum, ſalinorum, vinoſorum, attamen hos cruciatus experiuntur, in quo Pathologi falſi perquam anxii & confuſi ſunt, donec hujus phænomeni cauſam excogitare poſſunt, ſemper tamen ita felices exiſtunt, ut ἀπὸ μηχανῆς ſal quoddam inveniant, quod ad præſentem caſum applicare ſolent, quamvis ſub confuſa totius illius negotii deductione. 23.) Maximopere vero ſcandaloſum & præjudicioſum eſt, quî per remedia ſanguinem edulcorantia, repurgantia, à ſalibus & Tartaro liberantia, acidum abſorbentia, tam parum Podagra mitigari, vix unquam vero curari queat? quæ tamen indicatio therapevtica ad hypotheſin falſam abſolute proficere deberet, ut remota tunc cauſa materiali, effectus rodens vellicans cedat, atque deſinat. 24.) Quid quod illud merito obſervari debet, quomodo ex retropulſa Podagra, non tam vitia, quæ ſalibus aſſignari poſſint, aut debeant, oriantur, ſed potius motus alterati prodeant, ut ſunt internæ inflammationes, congeſtiones, ſpaſticæ, aut convulſivæ tractiones, infarctus & oppletiones, & exinde demum propullulantes ſcirrhi, effectus Cachectici, Hectici, aliique, quales ſinguli ſalinis quibusdam inquinamentis perperam adſcribuntur: ſed occurrit tunc nova illa difficultas, quî effectus tales rationabiliter à ſalibus illis ſuſpectis deduci queant? 25.) Cum hac conſideratione convenit & alia, nimirum quod Podagra ita cito retropelli queat, ut conceptu difficillimum ſit, quî tam repente ſalia talia è pedibus ad interiora abdominis exprimi & proprimi poſſint? quæ tamen alias communiter firmius fibrillis innexa & infixa finguntur, unde repentina Podagræ retropreſſio non congruit,

 gruit,

gruit, cum reliquis circumstantiis in hac Pathologia advertendis.
26.) Ex experientia edocti quidā non male profitentur, quod Narcotica in Podagra noceant, quod inter varios alios allegavit A. N. C. *Raygerus dec. 3. an. 2. obs. 12.* cujus rei alii Pathologiæ falsæ faventes, ex longe alio capite, quam ex hac Pathologia causam reddunt, nimirum quasi cum illis naturæ motus turbentur, siquidem constat, quod Opiatorum usum in Podagra sequantur stupores, tumores Oedematosi, aut Paralytodei eventus, aut secundum *Wedelium in Opiologia tophacea durities*; hic sane, remotis omnibus petitionibus principii, arduum erit hanc observationem connectere, cum theoria falsa, ut exinde liqueat, quod in salibus culpa non lateat. Quod vero adhuc attinet, paucas illas & rarissimas observationes de Podagra ex esu cerasorum acidorum, vid. *A. N.C. Dec. 3. an. 3. obs. 46.* ex usu spiritus vitrioli *Tachenius Hippocr. chym.* aut acetositatis Citri orta, licebit merito, in illis hoc dubium movere, an certò, acido illo sali culpa adscribi possit, an non potius hæc in subjectis, ad Podagram ratione ætatis, temperamenti, sexus, vitæ generis, & aliarum circumstantiarum dispositis, occasionem suppeditaverint, ut spasticæ tales commotiones susceptæ fuerint, siquidem à sana ratione non alienum est, quod vitia concoctionis & digestionis, ad motus sanguinis alterationem concurrant, cujus rei documentum præbent, perturbationes mensium & hæmorrhoïdum, ex perversa diæta: *vid. Dec. 2. an. 5. obs. 46. Ledelii ob esu Carpionis Podagra*; nam quæstione adhuc opus est, quî hæc acida in pedes & non statim in primas vias, in partes interiores, aut alias nervosas, effectum suum stimulantem dimiserint? cujus prærogativæ, nisi per petitionem principii, nulla ratio vera reddi & excogitari potest; vulgo quidem in ventriculum conjicitur omnis culpa, quasi ille salia talia, vel non recte subigat, aut alteret, vel plane generet, & per primas vias citius dimittat, ast qui demonstrari poterit, prærogativa illa supposita unius stomachi præ alio, ad tolerandum, & citius transmittendum acidum tale fermentativum peccans? quî hoc confirmari possit, sine habito respectu ad differentiam ætatis, sexus, temperamenti, morum, consuetudinum, dispositionis hæreditariæ, quæ tamen singulæ circumstantiæ, in Pathologia Podagræ, exquisite observandæ sunt. Multa etiam de vinis Tartareis

reis

reis, acidis, facile fermentantibus in Patrociniũ falſæ hujus Pathologiæ proponuntur, quæ vero etiam cōmuniter experientiæ contrariantur, cum ſimiliter alia vina ſpirituoſa & calida, aut ſulphurata ad Podagram diſponant, non tamen quia acidum quoddam ſuppeditant, ſed quia ſanguinem vehementer cōmovent, atq; impellunt, propterea non omnes qui vinis talibus utuntur, Podagram experiuntur, ubi nimis craſſa eſt illa provocatio, ad differentiam corporum phyſicam & mechanicam, quia ſolum in theſi ſubſiſtit, & in hypotheſi deficit; vel etiam tales, qui vina talia quovis ſtudio évitant, Podagram nihilominus ſubeunt. Cura Podagræ cum lacte, ex qua aliqui in Podagra ſalia accerſere volunt, non eſt univerſalis & promeruit huc usque obſervationibus Medicis inſeri, de quo experimento agit *Greiſelius de cura lactis in Arthritide, Dolæus in A. N. C. Dec. 1. an. 6. & 7. obſ. 52. Febrius dec. 2. An. 2. obſ. 3.* Cum vero lac habeat etiam temperantem, demulcentem, lenientem, emollientem virtutem, ſane ſi unquam lac in Podagra conducit, non propter edulcorationem, & acidi involutionem, quæ aſſertio petitionem principii olet, ſed propter prædictas qualitates proficit. Et unde magis rigoroſe falſi Pathologi Tartarum in Podagra defendere laborant, quam ex exſudante & exareſcente calcarea, tophacea, circa articulationes contingente ſubſtantia, in contumaciori podagra. En Tartarum ſine ſapore! en ſal ſine acido! en calcem ſubtiliter terreſtrem & inſipidam, quæ provenit ex, porulis impreſſa, ſubſtantia lymphatica gelatinoſa, tenerrime poris inhæreſcente, & ſub acceſſu aeris exareſcente, quæ è ſubterjacentibus tendinibus, nunc rigide conſtrictis, expreſſa eſt, & quæ ab omni ſapore acido & Tartareo vacua exiſtit: tanto magis vero, ſi in ſubjectis quantiſper humidis externa refrigerantia & coagulantia in uſum tracta fuerunt, qualia porulis impacta deinde in talem calcaream conſiſtentiam tranſierunt; longe ſane aliam faciem Podagra haberet, ſi ita pedes ſale macerati eſſent, ut ſal hoc in conſpicuis moleculis exprimi poſſet, unde nimis craſſus mihi hic videtur conceptus, & a ſana ratione quam maxime alienus, qui tophaceam hanc ſubſtantiam, pro ſale effingit & obtrudit. Poſſem ſi tempus, & ſpatium conceſſerit, hujus negotii plures rationes & demonſtrationes ſuppeditare, ſive pluribus adhuc oſtendere, quod Podagra à nullo ſale ſive acido

ſive

five alio dependeat, sed quomodo longe verior & rationabilior respectus haberi debeat, hæmorrhoidalis negotii in Pathologia Podagræ, quod jam perspicue & solide deduxit *Excellentissimus D. D. Stahlius in dissertationibus de Podagra, de Calculo, de hæmorrhoidibus internis & externis & in Pathologia sua*; quo brevissimis adhuc annectere placet, *Foresti observationem* 1. *Lib* 29. ubi, dum de causis Podagræ differit, notanter dicit: *his etiam si accedit consuetarum excretionum NB forte hæmorrhoidum vel aliarum suppressio, major fluxio in articulos irrepsit; conferatur obs. 4. citati libri.* Sed acquiescam, cum pauca adhuc verba mihi ad te, *Nobilissime & Præstantissime Domine Candidate* dicenda sint. Volui & debui, ut nosti, ex toto animo tuis cœptis & egregiis conaminibus applaudere. Valedicis tandem *Vir Juvenis Politissime* studiis academicis, cum multa laude: acquisivisti benedicente divina clementia scientiam & peritiam Medicam, solidam, accuratam & distinctam, sat maturus es ad altiora conamina, & quo Patriæ tuæ inclarescas talis, qualis inter nos fuisti, dignis nimirum & laudabilibus moribus ornatus, judicio optimo instructus, scientia solida præditus, animo continenti, modesto, & quem commilitones Tui æstimarunt, suavi politus, & virtutibus sane elegantibus atque dignis præstantior redditus; hisce accedit quanta diligentia, atque laudabili fervore, studia tua perpetuo prosecutus sis, & talem nunc eruditionem adeptus, qualis te & in Patria & inter exteros, certo commendabit. Obtulisti modo talia diligentiæ & scientiæ specimina, quæ decus & honorem Tuum nunquam delebunt. Gaudeo adhuc, quod cum applausu publico sub meo Præsidio, dissertationem ventilaveris, variisque calcar addideris, quo ad similem solidam & egregiam eruditionem pertingere queant. Gaudeo de Te, ut auditore quondam quodam, ex optimis & suavissimis, selecto; Et qui modo exteras regiones & Batavorum Lycea adiisti, eoque ipso pulchram tuam voluptatem majores scientiarum apparatus colligendi, obsignasti, macte nunc esto hac virtute, perge viriliter insistere hisce honorificis tramitibus, & indesinenter divinam benedictionem exorare, sic nulla Tibi unquam deerit & tranquillitas animi, aliaque exoptata prosperitas. Lauream nunc Doctoralem obtines, jam dudum promeritam, nunc vero tanto majori cum honore, quo magis eruditio Tua confirmata est. Deus benedicat tuis dignitatibus, & futuris conaminibus largissime, annuat cum gratia Tuis cœptis, promoveat salutaria Tua consilia, augeat Tibi vires animi & corporis, & omnia quæ sunt prospera, utilia & necessaria, ex abundanti in Te effundat. Stet Tibi ad dextram, Angelus Domini, sub reditu instante in Patriam, efficiat ut salvus & incolumis Tuis in exoptata prosperitate constitutis, Tu tandem iterum restituaris. De me omnia paratissima humanitatis officia semper promitto; de Te vero ulteriorem Favorem & amicitiam desidero. Vale. Dab. Hal. Magdeb. d. III. Calend. Mart A. MDCCXIII.

Typis CHRISTIANI HENCKELII.